D. GUIDONIS GRANDI

IN PISANA ACADEMIA
Matheseos Professoris,
ET S. MICHAELIS IN BURGO ABBATIS

EPISTOLA DE PANDECTIS

AD CL. VIRUM

JOSEPHUM AVERANIUM

IN EADEM ACADEMIA
Juris Interpretem celeberrimum

EDITIO ALTERA

Notis variis, & Appendice Veterum Monumentorum ab Auctore locupletata

CUM INDICIBUS NECESSARIIS.





FLORENTIAE. MDCCXXVII.
TYPIS REGIAE CELSITUDINIS
Apud Tartinium, & Franchium
SUPERIORUM PERMISSU.



AMICO LECTORI.

Epistola haec jam inde ab anno 1723. manuscripta per Amicorum manus versabatur, ac multorum votis, ejus exemplaria sibi describi petentibus, facturus satis, illam Pisis anno superiori 1726. impressam vulgavi. Nunc variis Notis aucta iterum lucem aspicit, cum Appendice quinquaginta veterum Monumentorum ineditorum, quae adjungere placuit: quippe eorum nonnullla in ipsa Epistola, ejusque Notis citabantur; nec satis curioso Lectorum genio nunc temporis arridere solet nuda

quorumdam verborum ex ineditis documentis citatio, nisi eadem integra eorum oculis, & examini subjiciantur, ut de sinceritate illorum ferre judicium possint. Nonnulla etiam adducta sunt, ut veterum Judicatorum forma inde elucesceret. Omnia verò Antiquitatis amatoribus grata, & opportuna futura censui, cum illorum temporum mores, & disciplinam, ac quaedam etiam nascentis Italicae Linguae vestigia quandoque referant, & illustrium Virorum facta, & Geneses illustrent. Quae si cuipiam fortasse superflua videbuntur, is non magno suo incommodo eorum lectionem transilire poterit, & aliorum gustui, qui cupedijs ejusmodi delectantur, eadem reservare. Vale.



CLARISSIMO VIRO

JOSEPHO AVERANIO

In Pisana Academia celeberrimo Juris Interpreti

D. GUIDO GRANDUS

S. MICHAELIS IN BURGO ABBAS,

Et in eadem Academia Matheseos Professor S. P. D.

DUM veteres in Archivio mei Monasterii membranas excutio, in cujusdam Judicati paginam forte fortuna incidi, quae Cl. Viri Henrici Brencmanni sententiam, de non recepto apud Pisanos, ante saeculi tertiidecimi finem, Pandectarum jure, labefactare videtur. Id cum mihi ansam dederit, imò & animum adjecerit ad rem ipsam diligentius indagandam, & conjecturis aliis super eodem argumento mihi subortis utcunque illustrandam, easdem animadversiones meas, qualescunque illae sint, tibi, Vir Clarissime, communicare proposui, ut siquid lucis ad historiam Pandectarum illas conferre posse ju-

dicaveris, in mei erga Te amoris argumentum, & venerationis significationem, apud Te manere patiaris; sin verò pro meris, nec admodum firmis conjecturis habueris, easdem una litura deleri, atque abjici jubeas.

2. Lata est judicialis illa sententia XVII. Kal. Februarii, anno Salutis MCLXXXXIII. indictione XI. per Gerardum, & Bonagenum, seu Bonagentem, publicos Pisanorum Arbitros, & Judices: atque in illa expressè laudantur *Interdictum de Cloatis*, quod Digestorum *lib.* 43. *tit.* 23. habetur, *&* *Triticaria condictio*, de qua ibidem sermo est *lib.* 13. *tit.* 3. & praecipuè *l. ultima de aqua pluvia arcenda*, quam ex eorumdem Digestorum *lib.* 39. *tit.* 3. pro se citavit Syndicus S. Michaëlis, Pisanus nomine, qui & Rector erat Hospitalis S. Laurentii, contra Joannem Presbyterum Syndicum S. Pauli de horto, inter quos de aquaeductu purgando, & reficiendo disceptatio erat. Neque tantum postrema illa lex cum suo titulo, qualis in Pandectis habetur, ibidem semel exprimitur, sed iterum inculcatur, iisdem fermè verbis adductis, licet corrupta nonnihil, per Amanuensis incuriam, ut arbitror (nisi potius ejusdem Syndici, ex memoria, non ex codice verba allegantis lapsui sit id tribuendum) syntaxi: ait enim, post multa alia allegata, praedictus S Michaëlis Syndicus: *Maximè cum lege dicatur, debere tueri ductum aquae ab his, qui juri dicundo praesunt, cui vetustate auctoritate praestuit, etsi jus non probaretur*; cum verba Scevolae sint in laudata lege: *Solere eos, qui juridicundo praesunt, tueri ductus aquae, quibus auctoritatem vetustas daret, tametsi jus non probaretur*. Nomen ipsius Scribae ita in fine paginae scriptum legitur. *Ego Affricante, quondam Raynaldi de Vico, Domini Ottonis Romanorum Regis, & postea Imperatoris Notarius, praedictam*

dictam notitiam, prout in Actis inveni, scripsi, atque firmavi (1).

3. Satis porrò ex hujus Judicati tenore patere arbitror, receptum jam apud Pisanos ipsomet saeculo duodecimo fuisse Jus Pandectarum (2) atque adeò pervulgatum, ut ab ipso Religioso Monachorum nostrorum Syndico tam appositè in rem suam citari potuerit: nec non ejusmodi jus indubiam ex tunc habuisse in Tribunalibus auctoritatem; nec enim ulla exceptione Syndici nostri allegationem elevatam fuisse ab Adversario legimus, qui dumtaxat mutatam loci divexitatem esse contendebat; Et hoc nihilominus non obstante, sive talem declivitatis mutationem probare non potuerit Procurator S. Pauli, sive non esse attendendam rati Judices, juxta votum Syndici S. Michaëlis pronunciarunt, hoc decreto interposito. *Unde nos suprascripti Arbitri, & Judices, auditis hinc inde eorum allegationibus, & Testium dictis diligenter inspectis, supradictum Presbiterum Joannem pro suprascripta Ecclesia S. Pauli, ut patiatur fodere, & reficere, & purgare locum &c. condepnamus.*

4. Itaque emendatione aliqua indigere videtur Cl. Brencmanni opinio, qui *lib. 1. cap. 9. pag. 55.* suae eruditissimae historiae Pandectarum, *integro* post Amalphitanam direptionem *saeculo friguisse* apud Pisanos Justinianeam Jurisprudentiam, *nec ullius in jure dicundo usus, auctoritatisve fuisse*, arbitratur. Et quidem ille ad hanc sententiam confirmandam Pisanum Statutum anno 1262. compilatum ex Strozziana Bibliotheca adducit, quod jure scripto, & consuetudinario mixtam jurisprudentiam praeseferre asserit, Legi dumtaxat Romanae, & Longobardicae innixam: nomine autem Romanae Legis, *Compilationem juris ex Codice*

Theodosiano, & fragmentis quibusdam Ante- Justinianeis ab Alarico sub Gothis conceptam, eo loco significari putat (3). Verùm ego aliquantò vetustiorem Statutorùm Pisani Communis membranaceum Codicem optimae notae in Bibliotheca Francisci Gaddii nactus, non obscura longè antea receptae apud Pisanos jurisprudentiae per Justinianum Imperatorem restauratae indicia ibidem deprehendere mihi visus sum, quæ tecum hic juvat expendere, in argumenti, ex praeallata judiciali sententia deducti confirmationem.

5. Plerisque sanè Statutis hujus Codicis, aequè ac illis Strozziani Voluminis, haec nota praefigitur: *Commune legis, & usus*, quae ad consuetudinarium, aequè ac ad scriptum jus referri videtur, quemadmodum in plerisque municipalibus legibus observari solet; at ubicunque harum constitutionum compilatores absolutè ad *Legem* appellant, non facilè concesserim de Longobardica potius ibi sermonem esse, quam de Romana; similiterque ubi *Romanam Legem* expressè nominant, non video cur ad Codicem Theodosii potius, quam Justiniani, vel ad Appendiculas Alarici Regis, potiusquam ad ipsissimas Pandectas respicere dicendi sint. Expendi possunt loca sequentia. Capitulum A*mbiguitatem pag*. 92. laudati Codicis, sub rubrica *De successionibus* dicit: *Monachus in legitimam sibi Jure Romano debitam succedat*; Et *pag*. 98. sub eadem rubrica: *Bonorum autem Libertorum Patronis successio detur, sicut Jus dictat Romanum*; & mox: *Civitas jure Fisci, secundum Legem Romanam succedat*. Item capitulum *Vitium usitatum* sub rubrica *De possessionibus injustè ablatis, & invasis pag*. 108. habet: *Hac constitutione pro communi omnium utilitate decernimus, ut in rebus immobilibus, & in earum possessionibus Jmperialis Constitutio*:

tutio: si quis in tantum, & aliae Constitutiones, & Leges Romanae, dejectores, invasores, seu praedones, atque possessionum alienarum interversores, aliosque similes punientes, suum contra ipsos vigorem obtineant. Quae quidem, an non ad Justiniani jus pertineant, potius quam ad Theodosii, & Alarici decreta, ipsemet judex esto. Sanè quod *pag*. 114. sub Rubrica. *Constitutiones ex quo tempore valeant*, disponitur nimirum: *Sicut Leges, & Constitutiones futuris certum est formam dare negociis, non ad facta praeterita revocari, nisi etiam de praeterito tempore, & adbuc pendentibus negotiis cautum sit: ita omnia hujus voluminis Constituta interpretari decrevimus* (cujusmodi statutum Cl. Brencmannus ex Codice pariter Strozziano recitat *pag*. 58.) nonne totidem fermè verbis ex Codice Justiniani *de legibus l. Leges, & constitutiones* decerptum videtur? (4).

6. At fortasse reponet doctissimus Auctor, hinc ad summum evinci, aliqua ex Codice Justiniani, non item ex Pandectis in sua Statuta derivasse Pisanos; ita enim *pag*. 60. sententiam suam temperans, ait: *Quibus, ut reor, quam clarissimè demonstravi, diù adhuc nullum apud Pisanos Justinianei juris in foro, ac judiciis usum fuisse, etiamsi in allatis, e Stylo, perspicuum sit, Codicem Justiniani Statutorum Pisanorum Compilatores minimè latuisse, magisque in eo versatos fuisse, quam in Pandectis*. Sed si praelaudatum à nobis Codicem inspicere Viro Clarissimo datum fuisset, ab ea fortasse opinione se removeri passus esset: quippe notis quibusdam marginalibus, seu glossis vetustissimis Statuta hujus Codicis passim stipantur, in quibus Digestorum tituli, & leges ipsis Statutis consonae referuntur. Sic *pag*. 4. ad rubricam *De ordinando judicium*, Capitulo *malitia quorumdam*, citatur in margine *l. qui proprio*

de

de procuratoribus, *& l. Fidejussor qui satis dare cogantur*, *cum l.finali eod. tit.* item *pag*. 8. Capitulo *si vere in novum*, citatur *l. sumptus & l. emptor de rei vindicatione*, *& l. Apud* §. *Labeo ff. de doli mali*, *& metus exceptione*; nec non *pag*. 17. sub Rubrica *De opponendo editoribus*, Capitulo *Duo vel plures*, citatur *l. 1. ff. depositi vel contra*, §. *si convenit*. similiter *pag*. 36. sub rubrica *De executione rei judicatae* Capitulo *si alicujus*, adducuntur *l. eleganter ff. de pignoratitia actione*, *& l. siquis aliam ff. de solutionibus*. *& liberationibus*; atque ita passim sexcentis aliis in locis, quae singillatim recensere longioris operae foret. Quare oportet, ejusmodi Pisana Statuta legibus Pandectarum uniformia supponere, ut possent talibus allegationibus (etiamsiquis fortasse contenderet illas recentiori manu superadditas, quod tamen nullatenus conceditur] illustrari.

7. Atqui Constitutiones illae ferè omnes saeculo ipso duodecimo conceptae sunt, Nam *pag*. 70. sub rubrica *De sacramento manifestationis bonorum quondam Mariti ab Uxore faciendo*, habetur. *Item alio tempore idest MCXLVI. sexto Kal. Martii constitutum fuit*, *ut Dotes mulierum &c*. *Pag*. verò 72. sub rubrica *De Antefactis*, Capitulo *si quis autem*, dicitur: *Quae duo Capitula locum teneant in futuris matrimoniis*, *idest ab anno Domini MCLVI. VIII. Kal. Februarii* , *indictione quarta*. Et *pag*. 104. sub rubrica *De prohibitis nuptiis* legitur: *siquis autem ante haec tempora*, *idest ab anno Domini MCLVI. a die omnium sanctorum*. Et *pag*. 71. sub rubrica *De exceptione pecuniae non numeratae*, ita disponitur: *Donamenta verò Mulierum*, *quae amodò maritabuntur*, *idest ab anno Domini MCLXXXVI. indictione quarta pridie Kal. Februarii*. Unica verò, quae

pag.

pag. 58. refertur, Conſtitutio ad initium pertinet ſaeculi XIII. ideſt ad annum communem 1219, qui Piſanis 1220 numeratur; eſtque ſub rubrica *De Tutoribus*, *&* *Curatoribus* in Capitulo *excuſationes à tutela*, hiſce chronicis notis circumſcripta : *Statuimus, ut ſiquis occaſione facti deinceps, ſcilicet ab anno Domini MCCXX. Indictione VIII. V. Kal. Decembris juramenti &c.* Ut jam dubitare nòn liceat, longè ante annum 1262. a Brencmanno *pag.* 56. commemoratum, Juſtiniani Pandectarum notitiam, & auctoritatem apud Piſanos viguiſſe. Praeterquamquod, ipſemet Cl. Auctor *pag.* 58. Statutum quoddam ex Codice Strozziano refert, anno 1161 compilatum, ubi etiam mentiò eſt aliorum Sapientum à Piſanis delectorum, qui *ante* jam coeperant *diſcernere conſuetudines a cauſis, & quaeſtionibus Legum*, eaſque ſcripto conſignare.

8. Verùm & ante Amalphitanam direptionem, cui vulgò Pandectarum inventio refertur, Digeſtorum leges cognitas, & juriſprudentiam ex ampliſſimis illis fontibus derivatam, ne dum per Italiam, ſed toto paſſim occidentali Imperio receptam fuiſſe contendit Vir Cl. Donatus Antonius Aſtenſis, ut Ephemerides Italicae monent *tomo* 24. *art.* 12. in Novis litterariis Neapolitanis referendis: quem tamen librum nondum videre contigit, ut ejus fundamenta expendere poſſem (5). Ego quidem Juſtiniani Codicem, & Inſtitntiones, aliaque peculiaria ejuſdem Statuta pridem allegari animadverteram; Pandectas non item, quarum antiquior fortaſſe mentio ſub hoc ipſo nomine apud Petrum Blaeſenſem occurrit, anno 1160. florentem, dum Epiſt. 140. inquit: *Vides, quam immeabile pelagus ſit Pandecta, in qua civile jus continetur*: licèt aliquas illarum leges Ivo Carnotenſis, qui praecedenti

cedenti

cedenti saeculo XI. vixerat, *ep.* 99. allegaverit (6). Sane [ut omittam vetustiora Farfensia Placita, quae infra *num.* 10. commemorabo, in quibus Leges Justiniani sub Othone III; adeoque saeculo X. jam ad finem vergente, citantur] Concilium Ticinense sub Benedicto VIII. circa annum 1022. celebratum meminit Constitutionis Justiniani *De Adscriptitiis, & Colonis*, quae incipit *Docuerunt*, & habetur post ejus Edicta in variis Imperatorum Constitutionibus. Verba Concilii sunt. *Legant denique, vel si legere fastidiunt, legentem intelligant Justiniani Augusti Viri Christianissimi ad Dominicum Praefectum pro Lugdunensibus, conquerentibus fundos detrimentari &c.* (7) Et infra, Edictum Henrici Imperatoris ibidem inseritur, ubi pariter mentio est Constitutionis Justiniani, quae in Novellis 123. *cap.* 15, sive in Codice *lib.* 1. *tit.* 3. habetur, his verbis: *Nullus in omni gradu Ecclesiae Uxorem, vel Concubinam habere praesumat, nec in una domo cum muliere audeat habitare: quod si fecerit, servata Justiniani Augusti aequitate, Curiae Civitatis tradatur, cujus est Clericus.* Item Alexander II. eodem saeculo XI. *Ep.* 38. ad Episcopos, Clericos, & Judices Italiae, relata in Decreto *parte* 2. *causa* 35. *qu.* 5. Justiniani Leges, & Institutiones allegat, ibi: *Justinianus namque usque ad quem gradum consanguinitas ipsa perduret, in suis legibus non definivit &c.* adducens ipsius verba ex *lib.* 3. *Instit. tit.* 6. §. 7. *Hactenus ostendisse sufficiat &c.* quae item inculcat B. Petrus Damiani sub eodem Alexandro, & praecedentibus Pontificibus, ipsomet saeculo XI. florens, peculiari opusculo *De parentelae gradibus*, ubi saepius Institutionum Justiniani meminit. *Ad astruendam quoque*, verba ejus sunt, *praeposterae hujus allegationis instantiam, illud etiam in testimonium deducebant, quod Ju-*

stinianus

stinianus suis inserit Institutis; & infra: *Justiniano teste, qui dicit: inter eas personas &c.* Ac paulo post: *atque ut ipsi debeatis approbare quod dicimus, de vestris rursus Institutis testimonium proferamus*; Mox inferius: *Quapropter ad vestros codices quaeso recurrite, & utrum hoc limite sit contenta progenies, quia forsitan excidit, in memoriam revocate: ait namque ubi supra idem Justinianus, &c.* Quin etiam prope finem Opusculi inquit, *Ex vestris profecto exhedris munimen arripimus, quod vestris itidem jaculis opponamus; vester namque Justinianus, &c.* (8).

9. Quo ex loco etiam patet, non privato dumtaxat studio Juris Romani cultum jam tum in Italia floruisse, verum & publicè traditas in Scholis Justiniani Leges ipsomet saeculo undecimo: quippe, Juris consultorum *exhedras* noster Damianus appellat, ex quibus Institutiones illae resonarent; unde si Pisis etiam Legum studia eo tempore viguisse quis affirmaret, non adeò *putidam, & frivolam fabellam* luderet, ut *pag.* 60. Cl. Brencmanno videtur, *quam seriò refutare puderet*: nec sine aliquo probabili vetustatis suffragio id assereret; nam in *amplissima Collectione veterum Scriptorum, & Monumentorum* à Clarissimis Viris Martene, & Durando Monachis Congregationis S. Mauri praelo Parisiensi commissa *pag.* 460. habetur *Epistola R. Monachi S. Victoris Massiliensis* (fortasse *Raymundi*, qui postmodum anno MCXI. ex eo Monasterio ad episcopalem Massiliæ cathedram evectus est) *ad B. Abbatem suum* (quem Clarissimi Editores interpretantur *Bernardum*, pluribus Pontificiis Legationibus sub Gregorio VII. celebrem, qui ab anno 1065. ad 1079. illud Monasterium rexit) paulo post ejus assumptionem ad Abbatis dignitatem scripta, ut colligitur,

ligitur, ex quo illi adeptum ejusmodi honorem gratulatur, se interim excusans, quod non statim intellecta ejus promotione ad Monasterium redierit, unde aberat, ob quoddam negotium ab ejus Antecessore Romam missus, quò tamen pervenire non potuerit, ob equi sui infirmitatem, ac mortem: unde interim studiis vacare coeperat, ut Monasterio se magis utilem exhiberet, ac Legum scientiam, pro defensione jurium sui Caenobii sibi necessariam ratus, Pisis aliquo tempore consistendi licentiam ab eo exorat, ad ejusmodi studium ibi exercendum, aliorum Ecclesiasticorum, & quidem Monachorum, exemplo. En verba ejus Epistolae huc pertinentia. *Nunc autem, quia per totam ferè Italiam Scholares, & maximè Provinciales, nec non ipsius Ordinis, de quo sum, quia plures Legibus catervatim studium adhibentes incessanter conspicio, & Monasterium nostrum a Clericis, & Laicis sinè intermissione placitando lacessiri, atque justarum possessionum detrimentum pati considero, aliquantulum hujusmodi scientiam habere desidero; Nam siquid in hoc opere, divina largiente gratia, praevalerem, nec saecularibus placitis inhiarem, sed solam nostri Monasterii justitiam, quantum possem, adjuvarem. Si vestrae igitur, Summe Pater, dignitati placeat, ut in hoc opere studium pro posse meo exerceam, queso, & suppliciter obsecro, quatenus super hoc negotio caritativam mihi licentiam impendatis, & Pisano Priori vestris litteris, ut mihi subveniat, mandare disponatis. Si enim quod expecto apud vestram misericordiam impetravero, Pisas ad exercendum ibi studium, si Deus concesserit, adiero: interim autem usque ad festivitatem S. Michaëlis vestrae consolationis praeceptum expectavero.*

10. Leges porrò istae, quibus operam dare hic Monachus

nachus Pisis desiderabat, non utique Longobardicae, sed Romanae erant: nam secundum has, non illas Ecclesiastici Viri judicari debebant, ex statutis Ludovici Pii Imperatoris Augusti, qui *lege* LV. decernit: *Ut omnis ordo Ecclesiarum Lege Romana vivat, & sic inquirantur, & defendantur res Ecclesiasticae &c.* quod & antea usu receptum fuisse constat ex *Lege centesima* Liutprandi Regis Longobardorum, ubi supponit, eos, qui post mortem uxorum Clerici effecti sunt, ad Legem Romanam transire, dum decernit, filios nihilominus, & filias, qui ante eorum conversionem nati fuerint, *eadem lege vivere debere, & causas suas peragere, qua ille vivebat, quando eos genuit.* Excipe dumtaxat Monasteria quaedam sub speciali Longobardorum tutela posita jure fundationis, quae tamen in disceptationibus cum aliis Ecclesiasticis viris adhuc Romana Lege judicabantur, praesertim si Actoris personam sustinerent, quae ad Rei forum se accommodare tenetur. Sic Venerabilis Hugo Abbas Farfensis Monasterii in Sabinis, S. P. Romualdi nostri discipulus (9), in disceptatione, quae illi anno 999. intercessit cum Gregorio Abbate SS. Cosmae, & Damiani de Cella Minionis, apud Mabillonium in Annalibus Benedictinis *lib.* 51. *num.* 95. judicari volebat *secundum suam Longobardorum Legem*, Gregorius verò Abbas, *sicut Lex praecipit Romana*: Verùm hoc suae causae diffidente, & ad Placitum coram Ottone Imperatore venire detrectante, ex ipsiusmet Legis Romanae praescripto in contumaciam Gregorius ipse damnatus est, ac cella Farfensi Abbati adjudicata, non Theodosii, vel Alarici auctoritate, *sed quia Justinianus Imperator praecipit: contumacem tertia vice vocamus: datum judicatum firmum est; item & in alio loco idem*

Impe-

Imperator dicit: *Litigator si se subtraxerit*, *& tertio acclamatus non apparuerit*, *inter absentes judicium datum firmum est*. Item in alio Placito de Castro Bucciniano, quod invaserat Crescentius Benedicti Comitis filius (habetur autem *in Appendice tomi 4. Annalium Bened.* laudati Mabillonii *num.* 32.) (10) idem Hugo Abbas Farfensis. *Per suum advocatum*, *videlicet Alcbierium*, *secundum Longobardorum legem*, *quoniam venerabilis locus ad Longobardam permanebat legem*, suas querelas exposuit; & nihilominus non ex Longobardica dumtaxat, sed ex Romana etiam Lege judicii forma processit, nam *collatis Justinianae*, *& Longobardorum capitulis Legis*, adversus Crescentium sententia lata est (11). Ubi rursus vides, Romanam Legem intelligi, non eam, quae in Theodosiano codice, & Appendiculis Alarici, sed quae in Justiniani libris tunc cognitis continebatur.

11. Dissimulare tamen non possum, Epistolam Monachi illius Massiliensis, ex qua supra *num.* 9. *probabile* indicium Studii Legum saeculo XI. apud Pisanos florentis deduximus, non ad annum 1065. ut clarissimis editoribus visum fuit, pertinere, sed ad annum potius 1213. referendam, adeoque fermè sesquisaeculo posteriorem videri: ut ille Abbas B. cui dirigitur, non *Bernardus* censendus sit, sed *Bonfilius*, qui ab anno praedicto 1213. ad 1232. Monasterio S. Victoris Massiliae praefuit; ipse verò R. Monachus non jam *Raymundus*, sed potius *Robertus* dicendus videatur, qui etiam sui studii legalis fructum adeptus, *Magister Robertus* appellatus est in visitatione, quam cum ipso instituit Bonfilius Abbas anno 1217. in Monasterio Vabrensi, pro illius correctione & reformatione, uti habetur eodem *tomo* 1. *amplissimae collectionis*

nis supralaudatae *pag.* 1130. Moveor praecipuè ad ejus Epistolae tempus sic immutandum, quia cum ejus scriptor Abbatem Massiliensem roget, ut *Priori Pisano mandet suis litteris*, quo illi subveniat, ac se Pisis subsistere patiatur, ad sua studia ibidem peragenda, supponit utique Pisis aliquod Monasterium ea aetate extitisse, cujus Prior ab ipso S. Victoris Massiliensis Abbate penderet; quod quale esse possit non video: nam nostra S. Michaelis, S. Zenonis, ac S. Frigdiani, a Camaldulensium Antistite pendebant, nec per Priores, sed per Abbates regebantur. Idem dico de S. Viti Coenobio, quod Monasterii insulae Gorgonae, per nostrum B. Bonum Abbatem reformati, membrum erat; Verùm anno 1107. Petrus Moriconius, ex Abbate hujus Monasterii S. Michaelis, Pisanorum Archiepiscopus Monasterium XII. Apostolorum Congregationi S. Victoris Massiliensis regendum primò concessit, ut videre est in diplomate, quod in toties laudata Collectione *pag.* 614. per extensum adducitur; ergo post annum praedictum 1107. Epistolam illam scriptam fuisse supponi necessariò debet, nec citius, aut serius, quam pro aetate superius determinata, qua etiam tot Studentium affluxus ad Jurisconsultorum cathedras revera contigit, qualis in ea Epistola describitur, statui potest epocha hujus facti. Cum autem hinc non constet, ejusmodi studium Pisis tunc primum coepisse, nec liqueat, quam antiquo ex tempore tunc ibi floreret, manifestum est, non ideò labefactari opinionem eorum, qui illud jam inde ab undecimo, aut duodecimo saeculo inibi viguisse arbitrarentur; certissimè verò hinc colligi, sub initium saltem saeculi tertiidecimi Legum Romanarum decretis perdiscendis apud Pisas frequentissimos Studiosorum

sorum coetus incubuisse, antequam circa medium sequentis saeculi decimiquarti Pisana Academia reflorescceret, erecto mibi Pontificia auctoritate Clementis VI. in omnibus Scientiis Studio generali (12).

12. Ut autem demus, ad saeculum XI. non pertingere Jurisprudentiae Studium, quod Pisis saeculo XIII. viguisse, indubitato illius Epistolae testimonio evicimus; at certè Bononiae sub initium praedicti saeculi florere coepisse, demonstrari potest ex Roberto de Monte Monacho Beccensis Coenobii, & ejusdem Priore, qui anno 1154. ad Abbatiam S. Michaelis in periculo Maris evectus est, dignusque habitus, ob ejus perspectam doctrinam, atque integritatem, ut ad Concilium Turonense speciali mandato Alexandri III. summi Pontificis vocaretur. Is enim *in Accessionibus ad Chronicon Sigeberti Monachi Gemblacensis*, de B. Lanfranco, qui pariter Monachus, & Prior Beccensis fuerat, mox Abbas Cadomensis, & demum Cantuariensis Archiepiscopus electus est, verba faciens, ad annum 1032. haec habet: *Lanfrancus Papiensis, & Garnerius socius ejus, repertis apud Bononiam Legibus Romanis Justiniani Imperatoris, operam dederunt eas legere, & aliis exponere* (13) Mirum est, hunc locum à nemine, quod sciam, hactenus animadversum fuisse, qui multam nostro negocio lucem afferre potest: cum verosimile non sit, hunc Scriptorem de Lanfranco Antecessore suo in Beccensi Prioratu verba facientem, & qui saltem ipsius Lanfranci Nepotem, eodem Lanfranci nomine, in eodem Monasterio sub eodem regulari instituto militantem, mox Fontanellensem Abbatem, cognoscere potuit, deque ejus Patrui actibus specialius instrui, ea in re hallucinari potuisse, aut consultò imponere nobis tentasse,

ſe, Legum Juſtiniani inventionem, quae juxta vulgarem ſententiam illo ipſo tempore, quo Robertus haec ſcribebat, apud Amalphim contigiſſet, uno ſaeculo anteriorem ſupponendo, & quidem Bononiae potius factam teſtando, primique earum Interpretis laudem ad noſtrum *Lanfrancum* referendo, juncto illi ſocio quodam *Guarnerio*, qui alius non eſſe videtur a *Warnero*, ſive *Irnerio*, quem vulgò authumant eodem ſaeculo cum Roberto de Monte floruiſse. Profecto non Impoſtoris, ſed Dementis inſuper nota mulctandus eſset, ſiquis hoc noſtro ſaeculo vivens, aſsereret, doctiſſimum Brencmannum ante annos centum Florentiam veniſse, ut Pandectarum Hetruſcarum codices conſuleret, ac cum editis conferret, indeque anno 1620. Hiſtoriam Pandectarum Pariſiis, aut Londini edidiſse. Quod ſi abſonum eſt, tam inſani cerebri monſtrum ſupponere, pari jure nec dubitare licebit de Roberti fide in negocio, de quo loquimur; ac proinde, non Amalphiae, ſed Bononiae, nec ad ſaeculum duodecimum, ſed undecimum referenda erit Pandectarum inventio, nec Irnerus, ſive Warnerus earum primus explanator, qui fortè primus tantummodò illis gloſſas addiderit, uti Odofredus teſtatur, quibus ſibi *Lucernae Juris* cognomentum promeruit: & ſi is diſtinguendus non ſit à Guarnerio, quem B. Lanfranco ſocium Robertus attribuit, utique ab anno 1032. & deinceps, non circa annum 1150. floruiſſe dicendum erit, eoque minus ad annum 1190. perveniſſe (14).

13. Potuit autem Lanfrancus noſter primos Juriſprudentiae Romanae latices ex Inſtitutionibus, & Codice, aliſque Edictis antea jam cognitis, & vulgatis, ut vidimus, haurire, praemonſtrante Clariſſimo ejus

 Patre,

Patre, quem Papienſem Senatorem fuiſſe laudatus Robertus tradit, & *ex ordine illorum erat, qui Jura, & Leges Civitatis aſſervabant*, teſte Milone Criſpino Becceñſi Cantore, mox Abbate Weſtmonaſterienſi *in ipſius B. Lanfranci vita cap.* 1. apud Bollandi Continuatores ad diem 28. Maii. Tali ergo parente, & inſtitutore dignus filius, cum jam Legalis Philoſophiae amorem altiùs ebibiſſet, audita, poſt Patris obitum, amplioris Legum Romanarum Compilationis inventione Bononiae facta, eò ſe ſtatim contulit, ut tanti theſauri particeps & ipſe fieret: optimumque ad eas intelligendas praeſidium ſecum attulit, graecae ſcilicet linguae peritiam; illius enim non ignarum fuiſſe conſtat ex eodem Milone ipſius Vitae ſcriptore, qui de ejus doctrina, deque ejuſdem Scholae alumnis, ſic habet: *ipſa quoque in liberalibus ſtudiis magiſtra gentium Grecia diſcipulos illius audiebat, & admirabatur*. Nam & poſt ſuſceptam in Normannia Monaſticam vitam, celebrem Scholam in Monaſterio Beccenſi Lanfrancus aperuit, Anſelmo, Guitmundo, & Juone Carnoſenſi (quem ideò mirum non eſt, eodem ſaeculo XI. Pandectarum leges, nempe 7. 11., & 13. ex titulo *de Sponſalibus* citaſſe) aliiſque eximiis diſcipulis illuſtratam, quam ipſemet Alexander II. Pontifex Maximus, dum in minoribus eſſet, ſe frequentaſſe gloriabatur; Nam cum Lanfrancus jam Cantuarienſis Archiepiſcopus Romam ſe contuliſet, de primatu Eccleſiae ſuae cum Thoma Eboracenſi Epiſcopo, coram Pontifice ſummo, diſceptaturus, ipſe Alexander II. illi aſſurrexit, ſubdens: *Non ideò aſſurrexi ei, quia Archiepiſcopus Cantuariae eſt, ſed quia Becci ad ejus Scholam fui, & ad pedes ejus cum aliis auditor conſedi*, ut refert laudatus ejus Vitae Scriptor *cap.* 5. nec non

Guil-

Guillelmus Malmesburiensis *libro* 1. *de Gestis Anglorum Pontificum*.

14. Primus itaque, Pandectis inventis, earum legum explanator Bononiae fuit B. Lanfrancus noster, qui tamen non diù in ea exercitatione versatus est, cùm divino spiritu accensus ad sacra postmodum studia se contulerit, & in Normanniam concedens, anno 1042. Beccensi Coenobio se addixerit (15) unde *Garnerio socio suo* (quem non constat ex allato Roberti loco Germanum potius fuisse, quam Italum, nec desunt qui Mediolanensem, aut Florentinum eum faciant, ut *pag.* 53. Brencmannus observat) liber relictus est campus, ut in earumdem Legum explanatione, & Glossarum interlinearium appositione industriam suam collocaret, ac diuturniori ejusmodi exercitio suae juris peritiae famam uberius diffunderet. Quod si ad annum usque 1070. huic professioni privato veluti genio promovendae operam dare potuerit [usque ad 1089. Lanfrancus ejus collega supervixit) nihil repugnabit, Mathildae Magnae Comitissae rogatu id deinde officii publica auctoritate prosequutum fuisse, uti Abbas Urspergensis innuit; sed ad Lotharii II. Imperatoris tempora ipsum pervenisse, omnem fidem exsuperat,(16) multoque magis hinc etiam constat, commentitium esse Caesareum illud decretum, de abrogato quovis alio jure, & unius Romani usu ea occasione commendato: quam fabellam, post Lindenbrogium, & Conringium,(17)ipsemet Brencmannus optimè confutat *pag.* 41.; Idque res ipsa loquitur, cum post annum 1138. adhuc vetera monumenta exhiberi possint eorum, qui se Longobardica lege vivere profitebantur: & Innocentius III. *cap. Raynutius de Testamentis* jus Longobardicum subsequenti saeculo, velut adhuc vigens, commemoret (18).

 15. Su-

15. Supereſt Amalphitanae direptionis hiſtoria diſcutienda, quae multis obnoxia videtur difficultatibus, quominus inibi repertum Pandectarum volumen, ut vulgò tradunt, atque a Lothario Imperatore Piſanis donatum arbitremur. Et quidem ipſi Brencmanno donatio illa ſuppoſititia meritò viſa eſt; ſed cur non item ipſa Pandectarum apud Amalphitanos inventio ſimilis falſitatis ſuſpecta ipſi fuerit, planè non capio, cum ex uno, eodemque fonte, eoque aliis mendaciis, ut ipſe fatetur, vitiato, utraque derivetur; nutante autem aliqua ex parte hiſtoriae fide, non eſt cur in caeteris illam fulcire conemur. (19) Maximam mihi ſemper habere vim ad figmentum hoc revincendum viſa eſt haec conſideratio, quòd nullae exhibeantur illorum, aut proximorum temporum hiſtoriae, ſive à Piſanis, ſive ab Amalphitanis, ſive ab Hetruſcis, ſive à Neapolitanis, ſive à Siculis ſcriptae, quae repertas in Amalphitana expeditione Pandectas tradant. Vetuſtiora Piſana Chronica ab Ughellio edita ſunt, quorum alia ab anno 688. ad 1136. alia ab anno 971. ad 1178. alia ab anno 1004. ad 1188. excurrunt, in quibus utraque Piſanorum expeditio in Rogerium Siciliae Regem ad annos 1135. & ſequentes, cum direptione Amalphitana, deſcribitur: nec tamen ulla mentio Pandectarum, quas ibi repererint Piſani Milites, aut in Patriam aſportarint (20). Falco Beneventanus, Sacri palatii Apoſtolici Notarius, qui illo tempore vivebat, atque Innocentii II. Pontificis partes tutatus eſt, eandem Piſanorum expeditionem, & depopulationem Amalphitanam ad annum. 1137. ſatis minutè deſcribit, nihil de direptione vulgata horum librorum loquens(21) Alexander Teleſini Caenobii Abbas, rogatu Mathildis Comitiſſae ſororis Rogerii Regis, & conjugis Ranulfi

nulphi Comitis, eodem tempore quatuor libros scripsit de Gestis ipsius Rogerii, & *lib.* 3. *a cap.* 23. *ad* 26. Pisanorum in Rogerium molimina, & Amalphitanam inprimis direptionem narràt, nec tamen ullam de Pandectis inde asportatis mentionem ingerit. (22) Romualdus Guarna, qui Salernitanus Archiepiscopus anno 1153. electus fuit, *in suo Chronico* Amalphim a Pisanis direptam pariter commemorat, de Pandectis ibi repertis, & Pisas adductis omninò silens (23). Nullus denique ejus saeculi, aut praecedentium temporum Scriptor *Pandectas Amalphitanas* nominavit, uti mox *Pisanae*, & nunc *Florentinae* celebrantur; nec de illis uti Amalphiae existentibus sermonem quis fecit; Nec vero simile est, Amalphitanos, soli Mercaturae incumbentes, de his libris, quorum exiguus, imò si Brencmannum audiamus, nullus in Italia usus erat, Constantinopoli in Patriam suam trasferendis fuisse solicitos; uti è contrario nemo persuaserit, Pisanis militibus in praedam inhiantibus, horum Codicum, quorum pretium ignorabant, acquisitionem esse cordi potuisse.

16. Verùm tot Scriptorum ejus aevi silentio, atque inverisimili hujus facti speciei unus opponitur anonymus italicae Chronicae Scriptor, binis saltem saeculis posterior, quem sibi describendum curavit Ludovicus Bologninus, & post Nuncupatoriam ad Julium II. Pont. Max. suis Pandectis originalibus praefixam, illius testimonium prodidit, ad traditionem hanc popularem, vel primò serendam, vel confirmandam. Extitisse autem ejus opus fatetur *in domo magnifici Viri Philippi Comitis, filii quondam nobilis, & insignis deaurati militis, & Comitis Joannis de Griffis Pisani*. Franciscus etiam Taurellius in sua Pandectarum edi-

 tione,

tione, *ex antiquis Pisanorum annalibus apud Plotium Griffium eorum Civem*, historiam hanc se accepisse refert (24) laudans insuper in eandem sententiam nescio quem *Raynerium Grachiam* (aut potius Gracculum) *Pisanum, qui ante ducentos annos* (adeoque totidem, atque amplius annis post Amalphitanam direptionem, nam Taurelliana editio ad annum pertinet 1553) *de bello Thusco conscripsit* (25) sed & eundem Plotium affirmasse tradit, *antiquum instrumentum domi se babuisse donationis ejus* (libri scilicet Pandectarum) *in Pisanos per Lotharium collatae, quod postea contagiosae pestis periculo vitando, inter alia scripta, igne combustum sit.*

17. At quisquis fuerit ejus Chronicae, aut historiolae Auctor, contra momenta, quae superiùs expendimus, fidem apud cordatos Viros obtinere nequaquam meretur, utpote qui crassiorum in ea relatione mendaciorum ab ipso Brencmanno convincatur *in dissertatione altera, De Amalphi a Pisanis direpta pag.* 67. Nam si intra 3. aut 4. lineas tam foedè labitur, ut totidem palmaribus illam erroribus historiam commaculet: quomodo in hac una circumstantia veritatem, aliis coaevis scriptoribus planè incognitam, attigisse, ac revelasse putandus est? Qua ratione traditam ab hoc uno Auctore Pandectarum inventionem, ut rem indubitatam, ac veluti omnium saeculorum consensione firmatam, recipiemus, si respuere cogimur & assertum ab illo Concilium tunc Romae habitum ab Innocentio II, & binarum expeditionum in Amalphim à Pisanis factarum confusionem ab eo factam, dum de una dumtaxat loquitur, de altera silens, & Urbis illius praetensum incendium a Victoribus Pisanis excitatum? Nec minoribus difficultatibus scatet praeclarum diplo-

ma

ma Lotharii à Plotio jactatum, quod optimè confutat idem Brencmannus *pag.* 41. *&* 42. *suae historiae Pandectarum*; Nec vero simile est, aliquod tam notabilis Caesarei Privilegii exemplar sibi non conservasse Pisanos, etiam si concederemus, ob contagii periculum, non sulphureo dumtaxat suffumigio purgatum, sed flammis planè consumptum ejus authographum voluisse (26).

18. Jam dispiciendum esset, unde igitur, & à quibus Pandectae Pisas delatae fuerint? At spissis adeò tenebris involuta res est, ut difficillimum sit quidpiam lucis ad eam illustrandam conferre. Ego sic statuerem. Aut Leges, juxta Robertum Montensem saeculo XI. Bononiae repertae, ipsomet Codice Pandectarum Florentinarum, & antea Pisanarum continebantur, aut alio quopiam minus illustri exemplari descriptae erant. (27) Si primum, oportet illum Codicem Bononia Pisas aliquando delatum asserere, opera fortasse Bulgari Pisani (28) insignis Jurisconsulti, quem Irnerii auditorem fuisse tradunt: nec id repugnare posset, si aut Irnerius ad initium saltem saeculi XII. vivere potuisset, aut alius censeri posset à Guarnerio, quem Robertus de Monte socium addit Lanfranco ad Legum interpretationem, Ipse enim Bulgarus unus fuit è quatuor juris peritis, quos anno 1158. Fridericus Ænobarbus Imperator consuluit in celebri conventu apud Roncallias, super extensione jurium Imperii in Italiam, à quo & Bononiae Vicarius Imperialis est constitutus. Huic & Glossae celebres in jus civile, & Commentarius egregius in regulas juris tribuuntur; sed & quarundam graeco idiomate scriptarum Legum latina interpretatio eidem asseritur: quamquam hoc immeritò, cùm graecas litteras ipse ignoraret, ut Petrus Bayle animadvertit. Fieri ergo

ri ergo potuit, ut quo tempore Bononiensem praefe. ɛturam auctoritate Caesaris Bulgarus administrabat, descriptis jam sufficienter ad usum Bononiensis Gymnasii aliquot Pandectarum exemplaribus, insignem illum primarium Codicem, ab Irnerio praemotuo sibi legatum, aut jure fisci ad se devolutum, dilectae Patriae suae donaverit, ac Pisas deferri jusserit, ut hanc urbem tam egregii monumenti custodia decoraret, incitaretque concives suos ad eadem jurisprudentiae studia impensiùs excolenda.

19. Sin verò alterum supponimus, nempe Leges illas Bononiae repertas alio quopiam exemplari comprehensas fuisse (29) non video cui verosimilius acceptam referre possint Pisani hujus nobilissimi Codicis possessionem, quam Concivi suo Clarissimo, & eximio Judici Joanni Burgundio celeberrimo Jurisconsulto (30) cui potius quam Bulgaro tribuitur graecarum legum latina versio, ex Odofredi sententia, quam Panzirolus *libro de claris legum interpretibus*, & Laurentius Pignorius *in Symbolicis Epistolis ep.* 39. amplexantur: quemadmodum constat, eundem Burgundium anno 1151. Eugenio III. suadente, homilias 90 S. Joannis Chrisostomi in Matthaeum latinas reddidisse, nec non alias ejusdem in Genesim, & in Epistolas Pauli, ac etiam in Joannem, diligenrer interpretatum esse, itemque S. Joannis Damasceni libros de Fide orthodoxa, ejusdem Eugenii jussu, ex graeco vertisse, & B. Gregorii Nysseni librum de Natura h[illegible]minis, quem Friderico Imperatori dicavit; insuperque librum Vindemiae, seu Geoponicum, eodem Pignorio teste, ac Cl. Antonio Maria Salvino apud Rhedium *in sui Dityrambi adnotationibus*, ex graeco transtulisse; unde in ejus Epitaphio ad S. Paulum prope ripam Arni

ubi

ubi longaevo senio confectus jacet, inter alia ipsius elogia, idem Burgundius sic laudatur:

Optimus interpres Graecorum fonte refectus
Plurima romano contulit eloquio (31)

Hic ergo tanti nominis Vir non semel pro Pisana Republica Constantinopolim missus est, primò scilicet ad Calojoannem Imperatorem, quo tempore interfuit celebri colloquio, & disputationi polemicae ibidem habitae anno 1145. in Vico Pisanorum ad Sanctam Irenem, & ad S. Sophiam, inter Graecos, & Anselmum Havelbergensem Episcopum, mox Archiepiscopum Ravennatem, circa processionem Spiritus sancti, ut ex ipsius Anselmi *dialogis* a Dacherio editis *in suo Spicilegio*, constat. Deinde rursus anno 1172. ad Emanuelem Comnenum Imperatorem à Patria missus est, una cum Alberto Consule, & Marco Comite, uti narrat Auctor Pisanae Chronicae apud Ughellium ad praedictum annum (quamquam ibi corruptè legitur *Bunguadius Vir prudentissimus*, cum in MS. Codice laudati Gaddii habeatur *Burgundius juris prudentissimus*, & in alio Mss. Lucensi *Burgundius juris peritissimus*) cujus legationis ipsemet, in praefatione ad versionem Chrysostomi super Joannem, meminit hisce verbis, quae per extensum adducere otiosum non erit, cum hactenus inobservatam, & planè novam suffragii defunctorum rationem indicent: Inquit ergo. *Cum Constantinopoli pro negotiis publicis Patriae meae à Civibus meis ad Imperatorem Manuelem missus, legati munere fungerer, & quemdam filium meum Hugolinum nomine, quem mecum adduxi, morbo arreptum amiserim, pro redemptione animae ejus, explanationem S. Joannis Evangelistae Evangelii à beato Joanne Chrysostomo Constantinopoleos Patriarcha mirabili editam, de graeco in latinum statui vertere sermonem &c.* 20. Que-

20. Quemadmodum autem in eodem Prologo ipse Burgundius conqueritur, ejusdem Joannis Chrysostomi exemplar Pisas trasferendum se invenire non potuisse, ut proinde coactus fuerit binos ejus operis codices à duobus Monasteriis commodatò accipere, quos *duobus scriptoribus, uno a capite, altero à medietate incipiente*, tradidit transcribendos: ita fieri potuit, ut praeclara illa Pandectarum volumina, de quibus loquimur, vel prioris, vel posterioris suae Legationis tempore ibidem inveniens, habere concupierit, eaque vel pretio conquisita, vel ab Imperatore ipso (qui magnis muneribus Burgundium, & Collegas decoravit, illisque redeuntibus socios adjunxit Theodosium, cum duobus aliis Legatis ad Pisanam Rempublicam missis, ad foedus cum illa renovandum, & pacta juranda, ac firmanda) sibi ultrò donata impetraverit, atque in Patriam advexerit, quam tanto munere ditatam voluerit, graecarum etiam legum interpretatione faciliorem earum intelligentiam apud suos concives, & Italos universos, insigniter promovendo. Sicque rem acu tetigisse dicendi erunt qui Pandectarum libros Constantinopoli immediatè Pisas delatos fuisse scripserunt, ut Jacobus Augustus Thuanus *De vita sua lib. 1. post med.*, apud quem *Pandectes olim Constantinopoli a Pisanis captus* dicitur: ubi *captus* non significat *vi praedatum*, sed utcunque *cum effectu acquisitum*, ex verbo *Capio*; juxta sensum Ulpiani *in l. 71. ff. de verbor. signifi.* Et ante hunc auctorem Paulus Merula insignis, & eruditus historicus, qui sub initium superioris saeculi vivere desiit, & *parte 2. lib. 4. suae Cosmographiae* de Pisis loquens, ait: *servatum hic aliquando nobilissimum illud Pandectarum volumen, Constantinopoli ab ipsis adlatum, postea Florentiam porta-*

portatum, unde Pandectae hodie Florentinae [32] & longè antea Jurisconsultorum princeps Bartholus *sub initium Digestorum Soluto Matrimonio*, illorum opinionem confutans, qui Ravennae libros illos recuperatos censebant (hinc fortasse ortam, quòd inter libros Ubaldi Ravennatis Archiepiscopi anno 1225. defuncti reperta fuerint *Digestum novum juris uno volumine conglutinatum, & Infortiatum*, quae Symeon Archiepiscopus Albertino, & Bonifacio ejusdem Ubaldi fratribus restituit, uti ad annum 1220. narrat Rubeus *in historia Ravennate*) sic inquit: *Semper enim fuit totum volumen Pandectarum Pisis, & adhuc est*, saeculo nimirum quartodecimo, quo ille florebat. Adeout oporteat, tunc saltem nondum vulgatam, aut receptam fuisse, vel fortè nondum excogitatam fabellam de Pandectis in Amalphitana urbe repertis, quemadmodum etiam ignota mansit aliis Scriptoribus, qui usque ad tempus Julii II, sub quo Bologninus vixit, earundem Pandectarum meminere, purà Abbati Urspergensi, Odofredo Abbati Panormitano, & Angelo Politiano, quorum testimonia Cl. Brencmannus congessit: adde & nostro Ambrosio Camaldulensi, infra *num.* 23. adducendo (33)

21. Quod si quis interroget, unde ergo commentum illud originem duxerit, curve in Amalphitana potius direptione, quam in aliis Pisanorum egregiis expeditionibus, praeclarum hunc Legum Thesaurum à Pisanis inventum confinxerint? (quamquam figmentorum rationem reddere non tenemur, eademque rediret quaestio, si alibi, velut Panormi repertos illos Codices male feriati homines asseruissent) fortasse tamen responderi poterit, quod cùm *in Chronico* Richardi de S. Germano ad annum 1231. legatur, quòd mense Ju-

se Junio *Constitutiones novae, quae Augustales dicuntur, apud Melphiam. Augusto mandante, conduntur*; & paulò infra mense Augusto, quòd *Constitutiones imperiales Melphiae publicantur*, imperitus homo fabellae hujus auctor, nec locorum, nec temporum distinctionem animadvertens, qui etiam binas Pisanorum expeditiones Amalphitanas in unam erroneè compegit, aliisque erratis historiam illam foedavit, ut idem Brencmannus *lib.* 1. *cap.* 7. animadvertit: confundens etiam, ut ab aliis passim fieri consuevisse notat idem Cl. Brencmannus in dissert. De Republ. Amalphitana *pag.* 2. *&* 3. *Melphiam* cum *Amalphi*, nec non municipalia statuta cum publicis legibus, & insuper integro saeculo in re chronologica aberrans, putaverit Pandectas Justiniani Imperatoris Amalphi publicatas, & occasione Amalphitanae direptionis, quae tantò ante contigerat, Pisanis donatas a Lothario, cui deinde etiam Decretum de Legibus iisdem publicè per Magistros Universitatum exponendis, & in foro observandis, cum caeterarum Legum abrogatione, ab aliis attributum est, quemadmodum in vulgata historia passim habetur.

22. Haec quidem fateor in meris conjecturis posita esse; At nec firmioribus momentis roboratam video, subtiliter à Cl. Brencmanno excogitatam rationem, qua fieri potuerit, ut in illo militari direptionis Amalphitanae tumultu Pandectae Pisas deferrentur; Nempe *casu quodam*, inquit ille *lib.* 1. *cap.* 8. *aut divina potius providentia factum, ut milites arcam occlusam, eos libros continentem, atque ex pondere argento gravidam aestimantes, secum asportarint, cùm subitaria praedae compilatio inquirendi moram non ferret: itaque insciis Pisanis, & si scivissent vel invitis quodammodò, Pisas allatum fuisse Pandectarum exemplar*. Hanc profe-

cto

cto duorum voluminum in arca conclusorum ideam nostro Auctori injecit accuratior custodia, qua apud Florentinos nunc temporis servari Pandectas in arca elegantiori ad id destinata observavit: quem morem apud Amalphitanos quoque receptum olim fuisse, & à Pisanis retentum, unde ad Florentinos manaverit, ibidem Brencmannus gratis supponit; nec verisimile est, eo tempore tam insolitam curam impensam fuisse hisce libris custodiendis, quae aut nullius tunc usus erant, si Brencmannum audimus, adeoque nullo in pretio tunc habebantur, aut si adeundi essent, ob Legem Romanam tunc vigentem, oportebat potius obvios esse, nec clavibus obseratos, cùm deficerent alia exemplaria, quae Judices, & Magistratus subinde possent consulere, cùm opus esset ex ejusmodi legibus judicium ferre. Sed hac etiam Codicum Cista optimè composita, & diligenter obserata, mirum sanè, argento potius, alteriusve pretiosi metalli vasis, quam ferri, aut plumbi massa, aut scripturis ad ipsos nihil pertinentibus illam refertam milites supposuisse, cùm nullam metalli latentis conjecturam ex succussionis sono haberent, quo in primis explorare dirpiendae materiae speciem debuissent, nisi satius haberent arcam ipsam suis armis perfringere, ut, siquid ibi lateret avaritiae ipsorum explendae idoneum, perspicerent. Fieri tamen absolutè id potuit, quod Brencmannus suspicatus est contigisse: non ibo inficias; sed & illa aequè evenire poterant, quae superiùs verosimilia esse dixi, de Pandectis vel Bononia ex Irnerii haereditate per Bulgarum Pisas adductis, vel cura Burgundii Judicis Constantinopoli immediatè in hanc urbem delatis, deque confusione Melphiensium Constitutionum cum Amalphitanis Digestis; & aliunde majo-

majorem haec veri speciem habent, quam decantata ex militari incursione horum librorum direptio.

23. Caeterum hac occasione quid de Florentinis Pandectis senserit Ambrosius noster Camaldulensis, Vir sanctimonia, & doctrina, rebusque in Basileensi, & Florentino Concilio praeclarè gestis celeberrimus, latina, & graeca litteratura insignis, adducere non gravabor. Is *Epistola septima libri sexti*, juxta dispositionem eruditissimi nostri Abbatis Petri Canneti, qui illas maximo labore, & studio collectas praelo paravit, data Florentiae die XI. Martii 1417. post sex nimirum annos, ex quo Pandectae Florentiam delatae fuerant, illarum mentionem ingerit, ad Franciscum Barbarum Patritium Venetum de Nicolao Nicolo sic scribens: ***Is maximè te diligit; cumque ante paucos dies cuperet graecas litteras Pandectarum tibi transcribere, rei difficultate victus desiit. Sunt enim illi libri, velut ex sacrario Minervae proferendi, nec sine Magistratuum permissu inspici illos est licitum; quòd imperitum Vulgus nescio quid illos esse arbitretur. Persistet tamen ille morem alias tibi gerere; nec quicquam missum faciet diligentiae ad id efficiendum.*** Haec Ambrosius.

24. Quo ex loco duo inferri posse mihi videntur ad Pandectarum historiam illustrandam. Primum, quòd renascente apud Italos, Ambrosii Camaldulensis saeculo, ejusque in primis cura, & studio, graecae litteraturae gustu, graecorum characterum nativis formis restituendis usui fuerint notae graecae in Pandectis Florentinis expressae, tum ad graecam Justiniani constitutionem, quae posteriori parti praefigitur, tum ad Leges ex Modestini libris excusationum derivatas, tum ad indicem graecum librorum, unde leges compilatae sunt, tum ad numeros legum, ordinemque libro-

librorum, & titulorum designandum usurpatae; Graecos quippe characteres nativa elegantia (secus ac latinos, qui, ut potè à graecis amanuensibus Latini idiomatis imperitis, utcunque ad imitationem authographorum expressi, ad graecam formam & ipsi accedunt) exaratos in pervetustis illis codicibus certatim inspicere, aut inde sibi describi Eruditi maximè optabant, ut Franciscum Barbarum à Nicolio flagitasse, ex Ambrosio discimus; atque hinc fortasse factum fuerit, ut graeci characteres, prae latinis, magis detriti in Pandectis appareant, ac multis in locis evanescentes, ut Guilielmus Budaeus *adnot. ad Pandect. lib.* 3. *de Legib.* conquestus est, ac nominatim *primam partem graecae constitutionis ita contritam esse* non multò post Cl. Antonius Augustinus Tarraconensis Archiepiscopus invenerit, *ut non multa verba legi possent, & ad quam legendam, & solis splendorem, & maximam aliis modis diligentiam* sibi, & socio suo Joanni Metello adhibendam fuisse narrat *Emendationum lib.* 3. *cap* 3. Quae quidem pagina, frequenti jam usu detrita, nunc temporis penitus intercidit, ex Brenemanno *lib.* 2. *cap.* 1. Historiae Pandectarum.

25. Quare inter causas corrupti jam, & evanidi horum Codicum characteris, praeter toties repetitam Legum collationem, & recognitionem ad emendandos aliorum exemplarium textus, ac veros, & genuinos illarum sensus definiendos, usurpatam, etiam hanc graecarum litterarum imitationem, & pro restituenda earumdem nativa forma, à variis tentatam, enumerare non dubitaverim, & quidem potissimo loco habendam censuerim. Nam simplex verborum collatio solum fermè oculorum ministerium postulat; verum ipsa characterum expressio magis assi-

duam contrectationem exigere videtur, majorique paginarum affrictu exercenda est; Si praesertim (ut fieri consuevit) pellucida charta interposita subjectas litteras vehementius calcari à describentibus contingat, dum earum translucentia vestigia calamo circumducto exprimuntur, & singulis lineis subinde manus incumbens adprimitur. Id sanè multo magis deterere scripturam potest, ac paginam ipsam ex membrana pervetusta, ac tantae subtilitatis, ut ad calidioris manus contactum *crispetur, inque cincinnos se volutet*, ut Brencmannus *loco cit.* asseverat, paulatim corrumpere, & labefactare, quàm perfunctoria, ob solam lectionem alicujus particulae, de qua inter Jurisconsultos quaestio suborta esset, Codicis illius, aliàs diligentissimè custoditi, evolutio.

26. Alterum, quod ex praemissis Ambrosii verbis intelligimus, est, vulgarem illam opinionem de Justiniani authographo, ipsiusmet Triboniani manibus descripto, illis ipsis Codicibus contento, vel ex tunc vanam, & futilem à Viris limati judicii reputatam esse, ac contemptui habitam: nec sibi imponi passum fuisse Ambrosium ab Exastico illo graeco, quod primae paginae adscriptum Christophorus Landinus, & Marsilius Ficinus testantur, si modò Ambrosii aetate ibi extabat, & non aliquantò serius compositum, & adiectum sit ab homine otioso, ut viris litteratis fucum faceret, ac pretium nobilissimorum Codicum ea Fabula augere tentaret, seu potius corrumperet. Certè opinionem illam sugillare videtur Ambrosius, dum ait: *quod imperitum vulgus nescio quid illos esse arbitretur*, eo ipso indignam litteratis hominibus eam fabulam designans.

27. Neque porrò hac in re Ambrosii nostri acre judicium parvi faciendum existimo, qui & si puer XIV. an-

norum

norum saeculum reliquerit, in Angelico nostro Florentino coenobio sacris potissimùm studiis addictus, veterum tamen Jurisconsultorum monumenta in Pandectis collecta degustare non omisit, nec hospes omnino in hisce studiis erat, ut evidens est ex *Epistola* 18. *libri* 5. ad Marianum Porcium, Stephani Clarissimi Romani Equitis fratrem, quem ad priscorum illorum sapientum cultum excitat, damnata recentiorum barbarie, his verbis. *Juri civili te dare operam, ex litteris fratris sum factus certior. Probo id quidem, sed ea ratione, ut potius Jurisconsultos veteres, quàm Commentatores ignavos tibi hauriendos, atque imitandos moneam. Habent illi in se plurimum dignitatis, veteremque elegantiam praeseferunt, quam novi isti Interpretes in tantum abest, ut consequi potuerint, ut per imperitiam linguae saepe numero ne intelligant quidem. Alioquin hisce studiis nequaquam absque cultiorum detrimento studiorum vacare posses. Si enim antiqua illa, & limatiora ingenia professionem juris, licet claram, & Oratori quoque, teste Cicerone, pernecessariam, non usquequaque praedicabant, multumque illi deesse ad gratiam orationis testabantur; cum tamen illi ipsi Jurisconsulti essent peritissimi; quid ipsi statuere possumus, cum vix reliquiae nudae, ac tenues supersint, illaeque ipsae tanta barbarie interpretum violentur? Triduo se Jurisconsultum fore, si navaret operam, Cicero jocatur in Servium Sulpicium; ut appareat, quanti eam exercitationem fecerit. Vides de hac re quid sentiam. Places, ut juri planè des operam: sed latinae linguae, & cultioris musae te damnum nolo perpeti.* Haec Ambrosius, quem oportuit in utrisque versatum esse, ut veteres Jurisconsultos cum novis ita appositè compararet, deque eorum stylo, & doctrina judicium ferret. Quo quidem exemplo, & me ipsum defendi posse video, siquis me extra chorum saltare accuset, de hisce

 rebus

rebus tecum, Vir Clarissime, & Praestantissime, in hac Epistola conferre audentem, & cum disertissimo Juris Antistite de juris historia utcunque balbutientem, cùm longè aliis studiis, & Monasticae professionis status, & Cathedrae, quam in nostra Universitate sustineo, gradus, me addicere videatur. Tu longiorum litterarum taedio interim parce, & me, ut facis, amare perge tui observantissimum. Vale.

Pisis Kal. Octobris MDCCXXIII.

INDEX NOMINUM

MARGINALES NUMEROS RESPICIENS.

Bene-

Odo-

NOTAE.

1. PER extensum adducitur haec judicialis sententia in Appendice veterum Monumentorum huc spectantium *n. XLI.* & ex alia sententia clariori charactere descripta, quam *n. XLV.* adducam constat nomen secundi Judicis verè fuisse *Bonagens*, non *Bonagenus*.

2. Latius idipsum probat in sua eruditissima epistola *De veteribus Pisanae Civitatis Constitutis*, Vir Clar. D. Virginius Prior Cassinensis, nostri Pisani Lycei Professor celeberrimus, qui ab ipsomet saeculo XI. Pisanos juris Pandectarum usu fortasse non caruisse contendit, saeculo autem XII. Statutorum suorum compilationem ejusdem juris sententiis, & phrasibus plena manu exornasse demonstrat, in nostrae sententiae confirmationem. Videsis ipsum *à pag.* 18. *ad* 22. Item *pag.* 28. 31, 34.

3. Eadem est Domini Du Cange opinio in Glossario *V. Lex Romana*. Fieri autem potest, ut in Gallia praesertim id usu veniret priscis olim temporibus, ex quo Carolus M. anno 774. sui regni 20. Edictum Regis Alarici amplexus est, quo Codicis Theodosiani observantia injungitur. At non semper, aut ubique, ne in ipsa quidem Gallia [ut ex Hincmari locis à Cl. Struvio citatis constat] Legis Romanae nomine solas Theodosii Constitutiones venisse, imo potissimùm Justinianei Codicis, & Novellarum collectionem, Romanarum Legum, *quas probat, & servat Romana Ecclesia*, nomine passim laudari probat Clariss. Valsechius *loco cit. a pag.* 6. *ad* 10. Locis autem ab eo expensis addi meretur Apologeticum Rescriptum Caroli Calvi ad Hadrianum II. ubi constitutiones Romanorum Imperatornm Valentis, Gratiani, & Valentiniani, ac secunda Justiniani citantur his verbis: *juxta Legem Justiniani, qui in Libro Constitutionum decrevit, &c.*

4. Multa Pisanorum Statutorum loca ex Pandectis, ex Codice Justiniani deducta expendit Cl. Valsechius *à*

pag.

pag. 18. *ad* 22. Quibus addi poteſt expreſſum illorum Capitulum *de Sacramento Calumniae*, quod ejuſdem Codicis Gaddiani [quo dudum uſus ſum, nec tamen iterum conferre licuit, ob inficeti Poſſeſſoris moroſitatem, etſi vel maximè expoſtulaverim] *pag* 19. habetur, ubi inter alia ſic diſponitur: *Si vero Archiepiſcopus vicedominum vel vicecomitem habuerit, licet Syndicum habeat, tamen in cauſis majoribus L. librarum quantitatem continentibus, Vicedominus, ſeu Vicecomes, ſi Adverſarius petierit, Sacramentum calumniae faciat: dummodo juret prius adverſarius cum Sacramento calumniae, quod ideo ab ipſo Sacramentum calumniae petit, quia ipſum melius ſcire, vel dicturum veritatem exiſtimet*. Quae diſciplina utique ex Juſtinianeo jure profluxit, ut doctiſs. Valſechius notat *ibid. pag*. 10. *Qui* etiam *ſub finem pag*. 22. in eiſdem Piſanorum Statutis c. *Vitium uſitatum* nominari teſtatur *vacuam aut vacantem poſſeſſionem*, phraſi utique nuſquam in codice uſitata, ſed in Pandectis dumtaxat, ut *l*. 3. § 1. *ff. de act. empt. l*. 3. *ff. de uſur. l*. 32 § *Arbitri ff. de recept. qui arbit. l*. 18. § *Si venditorem ll*. 33. & 34. *ff. de acq. poſſeſſ. l*. 2 § *ult. ff. de act. empt*. videre licet. Inſuper in rubrica *de Solut. & liberat*. Piſana Statuta habent haec verba: *aliud pro alio, invito creditore, ſolvi non poteſt*, deſumpta utique ex *l*. 2. § 1 *in fine ff. de reb. cred*. Vide etiam *in Append. vet. monum. num. xiv. & xviii. ac xxii. uſurpatam à Piſanis Phraſim mittendi in vacuam poſſeſſionem annis* 1110. & 1138. & 1147. *ſtylo Piſano, ideſt communi more* 1109. & 1137. *ac* 1146.

5. Datum eſt poſtmodum, ut eruditiſſimi Viri Tractatum pervolutarem, ex quo nonnulla inſtituto meo cohaerentia delibare, aliiſque meis obſervationibus munire non praetermittam, praeſertim cùm rariſſima prodiiſſe doctiſſimi ejus operis exemplaria intelligam. Hoc loco autem illud dumtaxat mihi demonſtrandum aſſumam, quod probat ille *lib*. 1. *cap*. 2. & 3. Jus Romanum à Barbaris Italiam occupantibus nequaquam abrogatum, aut antiquatum fuiſſe, ſed potius ejus obſervantiam maximè commendatam, contra quam vulgo ſit perſuaſum. Unde Gelaſius Papa apud Gratianum in Decreto *diſt*. 10. *cap*. 12. ſic ſcribit,

Theo-

Theodorico Gothorum Regi: *Certum est magnificentiam vestram leges Romanorum Principum, quas in negotiis hominum custodiendas esse praecepit, multò magis circa reverentiam B. Petri Apostoli, pro felicitatis augmento velle servari*. Et ipsemet Theodoricus apud Cassiodorum *lib.* 1 *Epist.* 27. *ait*: *Si juri Romano servit quicquid sociatur Italiae, quantò magis decet, ipsam Civilitatis sedem Legum reverentiam plus habere?* Imò & *lib.* 3. *Epist.* 43. sic inquit: *delectamur jure romano vivere, quos armis cupimus vindicare*. Cui addi potest quod *lib.* 7. *Ep.* 3. *decernit*, ut Comes ab eo missus litem inter duos Gothos exortam secundum Edicta sua componat; addens tamen: *Si quod etiam inter Gothum, & Romanum natum fuerit fortasse* negocium, adhibito *sibi prudente Romano, certamen possit aequabili ratione distinguere: inter duos autem Romanos Romani audiant, quos per Provincias dirigimus cognitores, &c.* & demum *Ep.* 25. *ejusd. lib.* de suis Gothis loquens, ait: *Hoc est, quod vos efficit singulares, si assueti bellis, videamini legibus vivere cum Romanis*. Ejus verò successor Athalaricus apud eundem Cassiodorum *lib.* 8. *Ep.* 3. Senatui Romano scribens asserit, *Gothis, Romanisque jus esse commune*. Qui etiam *lib.* 9. *Ep.* 21. praecipit eidem Senatui: *Ut juris* [utique Romani] *expositor commoda sui Decessoris ab eis, quorum interest, sine aliqua imminutione percipiat*. Et rursus *Ep.* 18. *ejusd. lib.* Constitutionem Valentiniani contra eos, qui sine decreto judicis aliena praedia occupabant, in desuetudinem abiisse conquestus, ejus observantiam inculcat. Alaricus quoque Visigothorum Rex, Romano juri venerationem suam testatus, Aniani J.C. viri spectabilis opera ex Codice Theodosiano, ex sententiis Paulli, ac partim ex Gregoriano, & Hermogeniano, suum Breviarium efformavit, quod Timotheo Comiti Consulari direxit, ut ejus observantiam urgeret in locis suae ditioni subjectis.

Video opponi posse, quod Sidonius Apollinaris ipsimet Theodorico Regi coaevus *lib.* 2. *Ep.* 1. de quodam Gothorum ministro, nomine Seronato, conqueritur, qui *exultans Gothis, insultansque Romanis Leges Theodosianas*

cal-

calcans, Theodoricianasque proponens, in Gallia debacchabatur, eumque *Catilinam sui saeculi* nominat; sed piae Regis ipsius menti, tam claris monumentis superius adductis expressae, neutiquam praejudicare debet quicquid privata sua auctoritate, per abusum potestatis sibi collatae, attentare praesumpsit scelestus ille Minister; & verò constat, Romanas Leges adhuc in Galliis praevaluisse, quibus dudum assueverant incolae regi, & informari: imò qui inter caeteros cultiores evadere studebant, Romam contendere curabant ad pleniorem jurisprudentiae intelligentiam sibi comparandam: ut de Facundo commemorat Rutilius Numantianus Auctor quinti saeculi:

Facundus juvenis, Gallorum nuper ab aruis
Missus Romani discere jura fori.

Ac de S. Germano Antisiodorensi Episcopo scribit Constantius in ejus vita, *post auditoria Gallicana intra urbem Romam juris scientiam plenitudini perfectionis adjecisse*; quod circa exitum quarti saeculi contingere debuit, cum ante medium saeculi V. S. Germanus obierit ex Pagio *ad annum* 435. *num.* 36. Et S. Bonitus Arvernorum Episcopus [Sidonii Apollinaris post bina saecula in eadem sede successor] ab Anonymo vitae auctore coaetaneo apud Bollandum 15. *Januar. num.* 3. dictus est, inter alia, *Theodosii edoctus decretis*. Usque adeò irriti prorsus fuerunt Seronati conatus ad Romanas Leges evertendas, nec ullius Principis sive Gothorum, sive Francorum potentia promoti.

Sed neque à Longobardis pessumdata est earumdem Legum Romanarum reverentia; nam post 77. annos ab eorum adventu in Italiam Rothasis Rex suo decreto Gentis quidem suae usus scripto commendavit, sed non ideò Romanum jus ulla constitutione, aut lege abrogasse deprehenditur: uti nec Liutprandus Rex quidpiam adversùs Romanorum decreta attentavit: imò inter ejus Leges ab eruditissimo viro Ludovico Muratorio in collectione Scriptorum Italicorum publicatas *lib. 6. lege* 37. habet, *de scribis hoc prospeximus, ut qui chartam scripserit, sive ad Legem Longobardorum, quae apertissima, ac penè omnibus nota est.*

sive

se ad Legem Romanorum, non aliter faciant, nisi quomodo in illis legibus continetur. Nam contra Langobardorum Legem, aut Romanorum non scribant: quia si nesciverint, interrogent alios; & si non potuerint ipsas Leges plenè scire, non scribant ipsas chartas. Et infra *Lege* 74. ita disponit. *Si Romanus homo mulierem Langobardam tulerit, & mundium ex ea fecerit &c. quia postquam Marito Romano se copulaverit, & ipse ex ea mundium fecerit, Romana effecta est, & filii, qui de eo matrimonio nascuntur, secundum Legem Patris, Romani sint, & Lege Patris sui vivant*. Itaque neque a Gothis, neque à Langobardis Principibus sublatus est uspiam Legum Romanarum usus, & vigor.

Quod si Gonzales *in cap. Super specula de privil.* interdictum perhibet à Carolo Magno *lib.6. Capitular. cap.* 269. Romanae Legis usum, quod & firmasse Lotharium *lib.* 3. *Legum Langob. cap.* 37. fidenter asserit; reponendum est, ex animadversione Petri Pithoei à Benedicto Levita inter Capitularia Regum Francorum erroneè statutum illud relatum, & Carolo M. tributum, cum multis aliis Visigothorum legibus, ne ipsis quidem fortasse legitimis, & sanè cùm in Gallia suam vim obtinerent Romanae Leges jam inde à Chlotarii Regis tempore, cujus constitutio *tom.* 1. *Concil. Galliae* habetur hisce verbis concepta: *inter Romanos negotia causarum Romanis legibus praecipimus terminari*, aliisque monumentis supra indicatis constet, quo in pretio ibidem Romani juris auctoritas haberetur, non est verosimile, Carolum Magnum in caeteris Imperii partibus earum usum abrogare voluisse; imò se ab ejusmodi animo longissimè alienum ostendit, tum recepto, ut diximus *Nota* 3., Alarici Regis edicto, quo Codicis Theodosiani observantia injungitur; tum quia, post occupatum Italiae regnum, Romanos voluit juxta Legem suam successiones habere, juramenta praestare, & Scripturas facere [quamquam inter Pipini ejus filii Leges *num* 46. juxta Cl. Muratorii editionem, hoc Statutum legitur] Quin & factus Imperator nihil antiquius habuit, quàm ut primo suo judicio in eos, qui Leoni III. Pontifici Max. infesti fuerant,

rant, animadverteret ſecundum Legem Romanam; etenim Annales Francorum à Pithoeo editi ſic habent. *Poſt paucos autem dies juſſit eos, qui Pontificem anno ſuperiori depoſuerant, exhiberi, & habita de eis quaeſtione ſecundum Legem Romanam, ut majeſtatis rei capitis ſententia damnati ſunt.* Ad haec in ſuis Capitularibus *addit.* 4. *cap.* 29. ſic habet: *Horum corruptores ſinguli tribuant, & juxta Romanam Legem haec corrigantur.* Nec non in Synodo habita anno XI. ſui Regni de nefandae libidinis ſectatoribus haec habet: *Scimus enim, quoniam talium criminum patratores Lex Romana, quae eſt omnium humanarum mater legum, igne cremari jubet.* De Lothario autem, quem confirmaſſe Romanae Legis abrogationem Gonzalez affirmat, non aliud invenio *Lege* 37. ab illo ſtatutum, niſi ſub hac diſpoſitione, cujus etiam meminit *pag.* 9. Clariſs. Valſechius: *Volumus, ut cunctus Populus Romanus interrogetur, quali lege vult vivere, ut tali lege, quali lege vivere profeſſi ſunt, vivant; illiſque denuntietur, ut hoc unuſquiſque, tam judices, quam duces, vel reliquus populus ſciat. Quod ſi offenſionem contra eamdem legem fecerint, eidem legi, quam profitentur vivere, per diſpoſitionem Pontificis, ac noſtram ſubjaceant.* Quod non video, cur abolitionem Legis ullius, ſive Romanae, ſive Salicae, ſive Longobardicae importare dici poſſit, cum in cujuſque optione liberam facultatem reliquerit, juxta hanc vel illam vivendi; Idemque Lotharius *Lege* 70. Capitularia Caroli Avi ſui, & Ludovici Pii Genitoris ſui [qui, ut infra *num.* 10. *Epiſt. hujus* dicimus, Eccleſiaſticos ſaltem Romana Lege vivere decreverat] Legis loco haberi voluit, & 60. ſolidorum poena tranſgreſſoribus impoſita, ſervari mandavit. Hinc paſſim occurrunt in ejus temporis monumentis qui etiam cum ipſis Imperatoribus, aut Regibus contrahentes, ſe *Romana Lege vivere* profitebantur: ut in diplomate Ludovici II. Imperatoris, qui anno 868. à quodam Petro Romano Filio Karoli emit Capellam S. Blaſii cum Balneo, & Viridario, pretio ſcutorum DCCC. ut habetur in additamentis ex Cod. MSS. Regiae Bibliothecae Pariſienſis factis ad Chronicon

Ca-

Casauriense apud Doctiss. Muratorium *par.* 2. *tom.* 2. *Rer. Ital. pag.* 932. ubi hae subscriptiones leguntur. *Ego Gregorius Filius Leonis de Civitate Roma Legem viventem Romanam, &c. Signum* ✠ *manus Joannis Ducis de Civitate Roma legem viventem Romanam, &c. Theubaldus legem viventem Romanam, &c.* Numquam igitur ab ullo Regum, aut Imperatorum abrogatam fuisse Romanam Legem, certissimè constat; unde & Carolus Calvus *cap.* 20. *Suorum capitular.* dicere potuit: *In illis autem regionibus, in quibus secundùm Legem Romanam judicantur judicia, juxta illam Legem committentes talia judicentur: quia supra illam Legem, nec contra illam Legem Antecessores nostri quodcunque capitulum statuerunt, nec nos aliquid constituimus.* Haec Carolus, qui, ut innuimus supra *not.* 3., non solum Theodosiani Codicis, sed & Justinianei juris mentionem expresse habet in suis epistolis, unde vix ambigi potest, *ex dictis ibid. & infra not.* 6. *adducendis*, Romanae hujus Legis perpetuò vigentis nomine, etiam Justiniani Compilationes intelligendas, post Gothorũ expulsionem in Italiam invectas, ut suo loco probabimus.

6. Locum hunc nonnulli calumniati sunt, quasi primam Pandectarum notitiam Petro Blaesensi imperitè tribuerim, cum antea, nedum Gratianus aliquas ex illis leges citaverit *Canone Biduum, Can. non solent, & Can. post appellationem* 2. *qu.* 6. *Item cap. ex eo, & Can. certis* 15. *qu.* 3. sed & Ivo Carnotensis, me ipso fatente, tum *Epist* 99. à me allegata, tum *Epist.* 134. ut Jo. Vincentius Gravina *lib.* 1. *de Ort. & Progr. Jur. civ. pag.* 140. observat, ad earundem Pandectarum auctoritatem expresse provocet. Quibus repono, in primo quidem hujus Epistolae authographo quod Clariss. Averanio direxeram [ut multa inde exscripta, & inter Amicos sparsa exemplaria, ante primam illius editionem triennio post factam testari possunt] sententiam meam sic expressam haberi: *Quarum* [intellige Pandectarum] *prima fortasse in libris editis mentio apud Petrum Blaesensem occurrit;* eademque dubitantis circumspectio in editione prima appareret, nisi necessitas inferendi aliud majoris momenti vocabulum, quod *ibi lin.* 17. *pag.* 9. Ty-

pothe-

pothetae exciderat, aeneos characteres contrahere, & adverbium illud *fortasse* omittere coegisset. Mea verò opinio tum fuerat, in Gratiano quidem *Pandectarum* nomen non haberi, sed nudas aliquas sententias ex iis libris, qui ad Appellationum materiam pertinent; postmodum verò, Glossatorum opera duntaxat, illud *digestorum* vocabulum insertum fuisse, & additum in titulis, & synopsibus, extra textum Auctoris; Quod ipsum potuit Ivoni contingere, ut in editione illius Epistolae XCIX. libri Pandectarum citarentur ab eo, qui primam impressionem curavit, cùm in altera Epistola CXXXIV. tantùm *Leges Romanas Justiniani Imperatoris* nominaverit.

Caeterùm observare libet, non alias à Gratiano leges ex digestis nominari, quam quae ad materiam Appellationum, & Accusationum pertinent; nec alias ab Ivone commemoratas esse, quam quae in titulo de Sponsalibus habentur; ex quo suspicari licet, aliquam dumtaxat laciniam, seu fragmentum Pandectarū utrique innotuisse, non verò universum digestorum Opus, quod si in eorum manus venisset, nemo persuaserit, ab utroque in suas Canonum collectiones, multò uberiorem sententiarum farraginem coacervandam non fuisse ex aliis titulis Juris Justinianei, ut caeteras quoque materias, de quibus agunt, opportunè illustrarent, ac civilium legum auctoritate communirent. Quo posito absurda non est illa assertio, quod primus Pandectas, illo ipso nomine, atque ea aetate commemorarit Petrus Blaesensis, de integro scilicet volumine, *quo universum jus continetur*, intelligendo; non de particula dumtaxat, aut frustillo quodam specialis argumenti, in angulo alicujus Bibliothecae fortasse conservato.

Minus urgeret, siquis opponeret quod in vita quadam S. Bononii Abbatis, ex MSS. Reginae Sveciae ab Eruditissimo Abbate Benedicto Bacchinio mihi dudum communicata, & hactenus, ut reor, inedita [quam tamen *in Append. Vet. Mon. num. III.* ex integro subdam.] Rotbertus Monachus, sub Arderico Vercellensi Episcopo, cui illam dirigit, vivens paulo ante medium Saeculi XI. de Sanctis Viris Bononio Abbate, & Petro Episcopo dicat: *Ibi ergo*

cùm

cùm assiduo Pandectes studio longo tempore exercitati essent, ac divinae legis meditationibus per aliquot dies uterque vacasset, in Palestinam redierunt. Nihil, inquam, urgeret, qui sic opponeret; nam illorum vivendi ratio non permittit, ut suspicemur, ipsos scrutandis Justiniani legibus tunc occupatos fuisse; ideoque Sacrae Scripturae lectioni, ac meditationi deditos interpretari oportet: quippe cum utriùsque Testamenti paginis omnia contineantur, quae homini Christiano ad vitam piè instituendam conducere possunt, rectè *Pandectis* nomen sacro illi codici convenit, non minùs quàm Justinianeae universarum Legum Collectioni. Unde Ven. Beda *de Orthogr.* veram hujus nominis interpretationem utrique Testamento simul congruere asserit, dicens: *Pandectae omnia ferentes. Ideò vetus, & novum Testamentum, si insimul scribitur, Pandectes dicitur*. Cassiodorus autem *de divin. lection. cap.* 14. cùm libros latinos veteris, & novi Testamenti enumerasset, quos suis Monachis relinquebat, monens ex Augustino *in libb. de Doctr. Christiana*, illos Graecorum Codicum auctoritate corrigendos, ex quibus, post Hebraeum Fontem, ad nos eorum translatio pervenit, subdit: *ideoque vobis & graecum Pandecten reliqui, comprehensum in libris LXXV.* scilicet graeca Biblia utriusque Testamenti. Sic & doctissimus Mabillonius *in Musaeo Ital. pag.* 68. refert Epigramma praefixum Codici Bibliorum, quem Alcuinus Carolo Magno dicavit, in Bibliotheca Vallicellana Romae conservato: quale jam antea Eruditissimus Baronius Cardinalis *tom. IX. ad ann.* 778. *num.* 23. retulerat:

Nomine Pandecten proprio vocitare memento
Hoc corpus Sacrum, Lector, in ore tuo;
Quod nunc à multis constat Bibliotheca dicta,
Nomine non proprio, ut lingua pelasga sonat,

Ubi vides, Auctorem Tetrastici hujus contendere, magis propriè dicendum *Pandecten* Bibliorum volumen, quàm *Bibliothecam*, quo tamen nomine apud medii aevi Scriptores passim appellatur ex Du-Cange in Glossario: cujus rei exemplum habes etiam *in Append. Vet. Monum. n.* 11; ubi

ubi B. Bonus Abbas, mei Monasterii S. Michaelis in Burgo Pisarum Fundator sub annum 1018. inter alios libros Monachis ibi relictos, enumerat *Librum Bibliothecae novum quod est comparatum libras X.*

Sed quidquid tandem sentiendum hac de re putet aequus, & prudens Lector, nolim ego longiorem de voce ejusmodi funem contentionis protrahere: nec verò valdè attinet ad institutum nostrum, an hoc, vel illo vocabulo Justiniani Leges commemoratae inveniantur saeculo XI. & XII. imò potius nostrae sententiae de Pandectis ante saeculum XII. jam repertis, & à B. Lanfranco primùm Bononiae explicatis aptius conducit, si ab Ivone Lanfranci ipsius discipulo sub eodem Pandectarum nomine commemoratae fuerint, atque ab aliis coaevis Scriptoribus, aut ab eo saeculo minus remotis; sed & ultrò fateor [id quod hypothesi meae nullatenus repugnat, nam Legum ipsarum apud Bononiam inventio saeculo XI. à me asserta, non illas è coelo delapsas, aut è Graecia, ubi jamdiù post Basilicorum editionem in desuetudinem abierant, in Italiam tum repertè asportatas, sed ex aliqua Bibliotheca, vel proxima, vel remotiori, occidentalis tamen Imperii, ab eo qui tantum thesaurum primus detexit, ac justo in pretio habuit, tunc recens allatas supponit] negari non posse, quin etiam ante saeculum XI. aliquae saltem Legum in Digestis contentarum laciniae [aut etiam tota fortasse illarum collectio] quibusdam Auctoribus innotuerint; nam Agobardus, qui ab anno 816. Lugdunensis Archiepiscopus sedebat, in libro *de dispensatione Ecclesiasticarum rerum cap.* 18. furtum de publico aerario inter majores reatus enumerans, ait, *Quod & Leges saeculi sacrilegium vocaverunt*: proculdubio textum designans, qui in Pandectis occurrit *l. 9. ff ad leg. Juliam peculatus*. Itaque si quis contendat, integra ipsa Digesta, vel in Italia, vel in Gallia dudum antea in alicujus Bibliothecae pluteo extitisse, non quidem passim nota, ut Codex, & Novellae, atque Institutiones, ob majorem raritatem, minusque frequentem illorum usum, aliquibus tamen Scriptoribus, quibus magis

 accu-

accurata fuerit in ejusmodi Caesarei juris monumentis indagandis diligentia, aut qui forte fortuna in illorum exemplar aliquod inciderint, non penitus ignorata.

7. Integrum textum afferre juvat hujus Concilii, ob magni momenti observationem, quam secum afferre videtur. *Legant denique, vel si legere fastidiunt, legentem intelligant Justiniani Augusti Viri Christianissimi ad Dominicum Praefectum pro Lugdunensibus, conquerentibus fundos detrimentari, eorumque functiones minorari, & Reipublicae vectigalia defutura, quia filii servorum ex liberis mulieribus liberi recedebant. Sed Imperator discretissimus, in commune omnibus consulens, generali lege, mulcta imposita, praecepit, & praecipit, filios servorum Patrum, ex liberis etiam mulieribus, non Matrum, sed Patrum sequi naturam. Longo oculo Vir Justinianus, nominis ipso privilegio meritò justus futura videns dominorum dispendia, si filii servorum, quia ex libero utero exirent, liberi abirent Si ergo hoc conceditur saecularibus, propter indemnitatem: cur non permittitur Ecclesiae, propter utilitatem & necessitatem?* Porro *Lugdunenses* hic memorati non ad Lugdunum celeberrimum totius Galliae Celticae emporium spectant, qui tum Justiniani Imperio non parebant, sed, ut in editione Gothofredi est, legendum *Lygdunenses*, aut *Lygdonenses*: nam etiam *l. 15. ff. de excus. in fine* commemoratur *Bitrasius Pollio Legatus Lygdonensis*; seu potius *Lygdanenses* à Lygdano Mysiae urbe in Theutrania, quam Plinius *l. 5. cap.* 30. commemorat; sive ab aliqua alia regione Illyrici; nam in eadem Constitutione Justinianus monet Dominicum, *ut in omnibus Illyricianis partibus* ejus observantiam curet, eidemque Dominico Illyrici Praefecto directa est Novella CLXII. in cujus *cap.* 2. de hac ipsa quaestione agens, disertè *liberos* pronunciat natos ex libera matre, & adscriptitio famulo, sed manere *colonos*; inquit enim: *Si igitur ex libera quis, & inscriptitio nascatur, manet quidem liber, & maternam non abjicit ullo modo ingenuitatem: indicat autem à nobis posita Constitutio, quae vult tales habitatores regionum manere, & agrorum cultores, tamquam ibi natos; hoc enim coloni vult appellatio.*

Non

Non concedimus igitur ipsis licentiam relinquere quidem regionem, ad alia verò se recipere, &c. Haec erat Justiniani mens, cùm illam Novellam edidit anno 539 explicans legem à se latam *C. de Agric. & Censit. l.* 23. ubi sic decreverat. *Si qui adscriptitiae conditionis constituti mulieres liberas, quacunque mente, aut quacunque machinatione, sive scientibus, sive ignorantibus Dominis, sibi uxores conjunxerunt, vel conjunxerint, in sua libertate permanere, tam eas quam prolem, quae ex his cognoscitur procreata, sancimus.* Qua libertate cùm abuterentur, hinc sibi permissum putantes quoquò vellent recedere qui ex libera, & adscriptitio nati erant; ideo in praecitata Novella CLII. ea declaratione opus fuerat, ne agri desererentur: nimirum, ejusmodi liberos adhuc fundo addictos, & Colonos censeri debere. *Manent quidem liberi,* inquit Imperator, *& quae ab his adquisita sunt, sub illis erunt, neque peculium fient dominorum, non egredientur verò ex eo praedio, sed illud colent.* Quae utique dispositio sufficere videbatur, ad inhibendum, ne Agricolis recedentibus, pretextu libertatis ex ventre materno iisdem provenientis, agri deserti manerent; Placuit tamen Augusto Legem illam insequenti anno 540. corrigere nova Constitutione, quae à praefato Concilio Ticinensi laudata est, incipiente. *Docuerunt* ipsi Dominico Praefecto missa, in qua disertè suam priorem sanctionem revocat, ac vetustam quandam innovat, quae natos ex libera, & adscriptitio pariter adscriptitios fieri censebat, inquiens: *Legem, per quam jussimus adscriptitios, &c. ex hoc corrigentes, sancimus, secundum veterem legem de adscriptitiis, & Colonis constitutis agricolis quod nascitur, adscriptitium, & Colonum fieri.* Et infra: *Sancimus ergo generalem legem, ut qui ex adscriptitio, & Colono natus est. Patris naturam sequatur.* Usque adeò noxium est ab antiquis legibus discedere, easque emollire velle; ad quas demum reverti cogimur, omnibus temperamentis abjectis.

8. Hanc disceptationem cum Jurisperitis habuit B. Petrus Damiani Ravennae, ut ex Prologo ejus opusculi patet, ac quoddam eorum *Gymnasium* commemorat *cap.* 8.

D 2 dicens:

dicens: *Qui inter Clientium turbas tenetis in Gymnasio ferulam*. Unde aliqua verisimilitudo conciliatur vulgatae traditioni de Gymnasio Ravennate; cujus meminit Odofredus *in Autent. Qui res de Sacros. Eccles. n.* 3. ubi & celeberrimum Irnerium studuisse tradit, licèt Gravina *de ort. & propr. Jur. Civil.* ipsum Constantinopoli adducendum esse contendat. Porrò ex hoc ipso Damiani Opusculo conflatum omnino videtur *Cap. ad Sanctam Sedem* 35. *q.* 5. superius citatum: adeo ut Alexander II. in Romana Synodo anni 1065 Petri nostri Damiani calamo usus dici possit; nam eaedem rationes, ac totidem prope verbis afferuntur, eademque objectio quam ipse S. Doctor *in dicto opusc. cap.* 7. sibi à Florentino quodam Jurisperito factam narrat, de dispensatione scilicet, quam S. Gregorius Magnus Anglorum gentibus indulsit, etiam ab Alexandro II. in illa Conciliari Sanctione adducitur, ac simili modo dissolvitur. Quamquam notari meretur, ex eodem Petro Damiani *in Opusc. de contemptu saeculi cap.* 29. ejusmodi Jurisconsultos, nec Sancti Viri rationibus, nec ipsius Pontificis, aut Concilii auctoritati acquievisse: usque adeò Romanis Legibus, ac Justiniani Decretis tum temporis deferebant, quas errori suo favere, praejudicata opinione, arbitrabantur.

Florentinus Jurisperitus

Caeterùm ex illius Florentini Jurisconsulti objectione Damiano facta, infert Astensis *lib.* 2. *cap.* 2. Veteribus juris Professoribus, nedum profanas Leges, verùm & Sacros Canones, ipsamque Ecclesiasticam Historiam, familiarem fuisse; adeoque ejus aetatis Causidicos longè doctiores plerisque nostri temporis Jurisperitis censendos. Sanè dum idem Petrus Damiani suis epistolis Bonifacio, Attoni, Morico, Bonohomini scriptis, ipsos ut jurisperitos, & Causarum Patronos laudat, eosdem in humanioribus litteris, variaque eruditione versatos supponit. Nec mirum, tunc tam multiplici doctrina imbui passim potuisse Legum Romanarum studiosos, quibus soli, ac nudi textus Legum consulendi tunc erant, ad plenam juris cognitionem obtinendam: ideoque vacabat, ut etiam eruditioni, ac historiae tum sacrae, tum profanae, aliisque disciplinis operam impen-

Causidici passim occurrunt in antiquis Instrumentis.

pendere possent, quibus sententias suas illustrarent; unde & in ipsis Legum Decretis, quas ex suis dumtaxat purioribus fontibus hauriebant, multò magis versati esse poterant, quam nostri temporis Jurisconsulti, quibus tam immensa scriptorum congeries, & variorum interpretum moles evolvenda est, ut diversas illorum opiniones callere, ac limitationes, & ampliationes, distinctionesque subnascentibus casibus applicare queant, totque interminatis Rotarum evolutionibus, velut Ixiones, affixi esse debent, ac tam multorum Consulentium subtilitates, ac subterfugia, & innumeras tricas investigare, & expendere coguntur, ut absurdè omninò (inquit idem Astensis) jurisprudentiae instauratio ad Lotharii II. tempora referri à Recentioribus consueverit, cum potius ejus depravationem, ac Juris Justinianei exterminium exinde profectum, ob tantam scribentium turbam inde subortam, asserere debuissent. Hinc Catellianus Cotta *de Jurisperitis, verbo: Irnerius*, affirmat, ipsum non *Lucernam Juris*, sed caliginem potius appellandum fuisse, quippe qui non lucem, sed immò tenebras, & confusionem legibus attulerit suis interpretationibus, pessimoque inducto exemplo, tot Glossarum, & Commentariorum, quibus Jurisprudentiae Candidati magis perturbantur, & confunduntur, quam ad veram Recti, & Aequi rationem discernendam erudiantur. Id quod contra Justiniani ipsius mentem contigit, qui providè caverat celebri sua constitutione *Tanta. C. de Vet. jur. enucl. §. Hoc autem*, ne privatis interpretationibus, & commentariis leges ab ipso digestas exponere quis aggrederetur, sed difficultatibus, circa earum intellectum, forte subortis, ab Imperatoria Majestate congrua interpretatio exigenda, & expectanda esset. En ipsius Legislatoris verba: *tempestivum nobis videtur & in praesenti sancire ut nemo, neque eorum, qui in praesenti juris peritiam habent, neque qui postea fuerint, audeat commentarios iisdem Legibus adnectere &c.* & infra: *alias autem Legum interpretationes, imò magis perversiones, eos jactare non concedimus: ne verbositas eorum aliquid legibus nostris adferat ex*

confusione dedecus; *quod & in antiquis Edicti perpetui commentatoribus factum est, qui opus moderatè confectum huc atque illuc in diversas sententias producentes, in infinitum distraxerunt: ut penè omnis Romana Sanctio esset confusa. Quos si passi non sumus, quemadmodum posteritatis admittetur vana discordia?* Ac denique: *siquid verò ambiguum fuerit visum, hoc ad Imperiale culmen per Judices referatur, & ex auctoritate Augusta manifestetur, cui soli concessum est, Leges & condere, & interpretari*. Similia rursus inculcat sequenti constitutione *Dedit nobis eod. tit. §. Illud autem* utrobique poenam falsitatis, Operum jacturae, atque abolitionis infligens praevaricatoribus. *Itaque quisquis ausus fuerit ad hanc nostram Legum compositionem commentarium aliquod adiicere, aliter atque nostrae hujus jussionis forma praescribit, is sciat, quod & ipsi falsi reo legibus futuro, & quod composuerit, eripietur, & modis omnibus corrumpetur*.

Ex ea utique licentia, quam sibi J. C. usurparunt, interpretandi Caesareas Leges, & ad sensum causis suis accommodum trahendi, innumera in civilibus negociis absurda emerserunt, ob litium semina sparsa uberius, ac firmius in populis radicata; Unde factum est, ut quandoque ejusmodi Leguleì, ob publicum bonum tuendum, è regnis sint expulsi paulò postquam recepti fuerant, ut in Hungaria accidit; itemque in Anglia, ubi sub annum 1149. Auctore Vacario Lombardo [qui postmodum Abbas Beccensis in Normannia factus est, tum Cantuariensis Archiepiscopus] compendium Codicis, & Pandectarum in novem libros contractarum, ut inopiae pauperum subveniretur, prodierat, ac magna frequentia Oxonienses Scholae undique Legibus personabant; Verum communi querelae, quod *Leges Imperiales scientias omnes suffocarent*, ut ait Girardus Cambrensis, sive, ut Daniel Moreus habet: *Quod pro Titio & Sejo Aristoteles, & Plato penitus oblivioni traderentur*, concedens Stephanus I. Rex, expositionem, & usum harum Legum interdixit, ipsismet Libris proscriptis; *& ita Vacario nostro clausum est os*, ut ait Joannes Saresberiensis in Polycrate sive de Nugis Curialium. Quamquam

quam Henricus II. Stephani successor Legum usum apud Anglos iterum revocavit. Sed & Innocentius IV. ut tradit Mathaeus Paris ad annum 1254. aegrè ferens Ecclesiasticos praesertim, spretis Theologiae studiis, unice ad Legum auditoria se convertere, prohibuit deinceps in Gallia, Anglia, Scotia, Hispania, & Hungaria ullum Advocatum, aut Legum Professorem ad Ecclesiasticas Dignitates assumendum, aut admittendum, & quod de caetero Leges Caesareae in his Regnis non legantur, si Reges, & Principes consensum praebuerint, quem tamen consensum à Principibus extorqueri non potuisse affirmat Arthurus Duck *de auctor. Jur. Civ. Rom. lib. 2. cap. 8. n. 33.*

9. Patet id ex Prologo consuetudinum Cluniacensium in Farfense Coenobium inductarum sub eodē Hugone Abbate, ab Joanne Monacho S. Romualdi discipulo descriptarum, quem ex codice olim Farfensi, nunc Vaticano *sub n.* 9808. refert Mabillonius *Annal. Bened. tom. 4. lib. 53. n.* 18. ad annum scilicet 1009. iterumque cum integris ipsis consuetudinibus impresso Parisiis 1726. in libro, cui titulus: *Vetus disciplina Monastica*, per D. Marquardum Hergot Monachum Congregationis S. Blasii in Sylva nigra *pag.* 37. *&* 38. Ibi nimirum sic legitur: *Cum per universam Italiam Christi praecepta annullarentur, & velut in vastidio versarentur, diabolicae suggestiones coeperunt augmentari, & opere compleri, ita ut etiam in sacris constituti Ordinibus, sicut mos Laicorum est, uxores acciperent, & sine aliqua difficultate haeresim exercerent Simoniacam. Coelestis tunc clementia favente Regis, qui pretioso olim mundum suo redemit cruore, suscitatus est quidam decore splendidus Monachico, ROMUALDUS nomine, qui normam priscae justitiae in sexu renovavit utroque, & ordine. Cujus exempla imitatus venerabilis HUGO Abbas, renovavit prisca sanctorum Patrum, eximiique BENEDICTI clarissimi, & luculenti Patris in Coenobio Beatae MARIAE semper Virginis, in loco, qui dicitur ACUTIANUS, ubi destructus erat nimis omnis ordo, & compositio Monachorum: illorum ulnis imponens usum CLUNIACI Coenobii in Gallia aedificati, ac per totum orbem, cuncta ul-*

tra Monasteria, regulari tramite pollentis ipso tempore. Insonante etenim longè lateque fama praelibati Coenobii, necnon & praedictorum Patrum, ROMUALDI scilicet, & Domni HUGONIS Abbatis benignissimi: bi denique Patres nimio zelo ferventes, & inter se concordantes, domnus ROMUALDUS in Theoretica praeclarus effulsit, nec non & in aedificatione multorum Monasteriorum: Pater verò HUGO SEQUIPEDA EJUS effectus in regali Coenobio in tantum, ut ad Galliarum studia venerabilium Coenobiorum Cluniacensium, ubi venerabilis Pater ODILO, velut lucerna radians adbuc fulget, multa de illorum consuetudine, ad utilitatem Fratrum, illis commissis, & in Ovile Christi aggregatis imposuerit, ad salutem animarum. Ex quibus unus valdè inspiratus, & accensus in fervore Monastico, ex discipulis Domni ROMUALDI, nomine Joannes [qui sub religiosissimo Abbate Joseph in Monasterio incerto vixisse dicitur, tam apud Mabillonium, quam apud Hergotium citatos] *cum uno suo socio ad videndum, & scribendum properavit apud idem Cluniacense Coenobium, & ita exaravit in paginulis, ut oculis vidit, & in codicibus affixit, posterisque legenda contradidit. Domnus verò HUGO Pater, per omnia imitator illorum effectus, baec, & multa alia in suo regali, & antiquo Caenobio advexit, ut ab illorum usu in nullo discreparet, cupiens adimplere quod in Actibus Apostolorum legitur: multitudinis credentium erat cor unum, & anima una.*

Haec in Prologo illo à Guidone Farfensi Monacho (eodem forte, qui Hugoni in Abbatia successit, cujus & Nepos fuisse perhibetur) composito, ac dictis consuetudinibus, à Joanne collectis, praefixo. Mirari tamen subit, cur ipse Hugo Abbas in Constitutione, de recipiendis in suo Monasterio consuetudinibus Cluniacensibus, relata à Mabillonio *Annal. Bened. lib* 51. *n.* 72. ad annum 996. & in Chronico Farfensi *pag.* 548. *tomi* 2. *part.* 2. *Rer. Italic.* iterum impressa à Muratorio, ipsius S. Romualdi non meminerit, sed tantùm SS. Odonem, & Guglielmum [Divionensis Monasterii Abbatem] ejus consilii Auctores sibi fuisse doceat; imò fermè conqueratur, se à Classensibus quibusdam Monachis [illis tum Romualdus praefuisse videtur

detur

detur] quos, reformandi Monasterii sui gratia, eò advocaverat, nimio rigore tractatum, & indiscretè habitum, ac disciplinis regularibus afflictum. Qua de re plura in nostris Annalibus, Deo dante, si otium illos perficiendi, ac publicandi suppetet, adducemus.

10. Refertur idem Placitum etiam in chronico Farfensi *par.* 2. *tom.* 2. *Rer. Ital. pag.* 517. Cùm autem illi subscriptus in primis legatur *Benedictus Papa VIII.* cryptographicis quibusdam litteris praemissis, quas Mabillonius quidem ita exhibet: *Thes. p. f. & l b c t x c qui Benedictus Papa vocor*; Clarissimus verò Muratorius loco citato ita legit: *† b f p f k l b c t x l qui Benedictus Papa vocor.* eandemque subscriptionem alteri Placito factam exhibet *p.* 526. ubi ingeniosè suspicatur, ex numero litterarum, indicari nomen *Theophylacti*, quod fortè antè Pontificatum ille gesserit, aeque ac Benedictus IX. ipsius nepos. Operae igitur pretium me facturum puto, si doctissimi viri conjecturam confirmem, detecta Lege Steganographica, qua hae litterae dispositae sunt, ad illud nomen conflandum. Id autem sic facillimè exequor. Crucis signum pro prima littera in Muratorii editione formatum litteram T referre, qualem Mabillonii lectio habet, extra omnem dubitationis aleam puto. Ultimam verò litteram, quam Mabillonius *c*, Muratorius *l*, expressit, potius interpretandam *s*, conjicio. Reliquae autem litterae, ut in Muratorii codice habentur, retineri debent, ut sit legendum: *T b f p f k l b c t x s*, Quo posito, si hanc unam Cryptographiae legem attendas: *ut quaelibet vocalis in litteram, ordine alphabetico sibi succedentem, mutetur*; adeoque *a* per *b* exprimatur, *e* per *f*, &c. juxta appositum laterculum, quo ignotarum litterarum clavis continetur, videlicet $\left\{ \begin{matrix} a & e & i & o & u \\ b & f & k & p & x \end{matrix} \right\}$: patet hac simplici vocalium transformatione, occultum scribendi modum (vulgè *Cyphram* appellant) solis consonantibus litteris expeditum haberi, unica tamen aspirationis nota *h* retenta, quae inter litteras, sive consonas, sive vocales, computanda non est; unde clara fit expositio ejus subscriptionis,

(*T b f*

{ Tbfpfklbctxs / eo i a u }

nempe *Tbeofilactus*, ut Viri doctissimi conjectura ferebat.

11. Eadem utriusque Legis Romanae, & Langobardicae conjunctio legitur in controversia, ante Principem Capuae, & ejusdem Civitatis Archiepiscopum, nec non Ducem Neapolitanum, & Episcopum Cajetanum, anno 1017. agitata [de qua Leo Hostiensis *Chron. Cassin. lib.* 2. *cap.* 35.] de dominio quarumdam terrarum, inter Athenulfum Abbatem, & Monachos Cassinates ex una, ac Duces Cajetanos ex altera: *ubi decretum a Judicibus est, tam ex Romanis legibus, quàm ex Langobardis, nequaquam posse Cajetanis terras illas aliquatenus pertinere*. Quin etiam anno 1060. Nicolaus II. Papa in controversia Farfensis Abbatis cum Filiis Crescentii, qui Monasterii castra occupaverant, ac Monachos acriter infestabant, licèt ad Langobardicam Legem, ut vidimus, regale illud Coenobium pertineret, tamen juxta legem Justiniani summus Pontifex in eos sententiam protulit, ut docet Farfense Chronicon *tom.* 2. *p.* 2. *Rer. Ital. pag.* 589. ubi sic legitur. *Dominus Papa consilium à Judicibus quaesivit: qui simul ostenderunt hoc capitulum Codicis Justiniani dicentis: ejus, qui per contumaciam absens, cùm ad agendam causam vocatus esset condemnatus, negotio priùs summatim perscrutato, appellatio recipi non potest*; quae dispositio habetur *Leg.* 1. *C. quorum appellationes*. Cùm verò tempore Alexandri II. idest circa annum 1070. iterum reviviscerer contentio de Cella Minionis inter Berardum Abbatem Farfensem, & Odmundum Abbatem SS. Cosmae, & Damiani, Judice Hildebrando Venerabili Archidiacono [qui mox Gregorius Papa VII.] cum aliis Episcopis in Lateranensi Palatio illi assidentibus, res composita est, ex eodem Farfensi Chronico *pag.* 597. ubi subdit Auctor. *Scriptum verò istud, pro perpetua securitate hujus Monasterii, Durantes Scriniarius edidit legaliter, sicut Divus Justinianus imperiali sanctione inquiens indidit: Gesta, quae sunt translata in publica monimenta*

menta, perpetuam volumus habere firmitatem; nec enim morte Cognitoris perire debet publica fides. Quae verba habentur in *l. 6. C. de re judic.*

12. Refertur Clementis VI. Pont. Max. Privilegium huc spectans à Troncio *in Annal. Pisan. pag.* 355. ad annum 1343. sub *datum Avenione III. nonas Septembris, Pontif. nostri anno secundo*. Sunt autem qui contendant, ad annum 1306. quo & Paulus Merula *Cosmogr. par.* 2. *lib.* 4. institutam Academiam tradit, & ad Clementem V. illud potius pertinere, quemadmodum, & Diploma eodem spectans, ab eodem Pontifice quarto nonas Decembris eodem anno indultum, quo Archiepiscopum Pisanum, & Abbatem S. Michaelis in Burgo, nec non Abbatem S. Pauli ad Ripam Arni, Conservatores Privilegiorum Pisani Studii declarat, quod quidem hactenus ineditum ab eruditissimo Viro Octavio Angelo Abramio Canonico Primitialis Pisanae perhumaniter communicatum, *in Append. Veter. Monum. n. L.* infra per extensum adducam. Sed utrumque certissimè ad Clementem VI. non ad V. spectare dici debet; nam hic anno 2. sui Pontificatus non Avenione, sed Burdigalae versabatur, ut constat ex Bernardo Guidonis Episcopo Godevensi, in vita Clementis V. apud Papebrochium *in Propyl. Maii* & Muratorium *tom.* 3. *Rerum Ital.* Credere tamen fas est, aut simplici institutione, & auctoritate Pisanae Reipublicae, aut Caesareo Privilegio antea institutam hanc nostram Academiam, tunc primùm etiam Apostolicae sedis Privilegiis decorari coepisse; cùm aliunde constet, ante annum illum 1343. qui Clementi VI. secundus numerabatur, saltem Juris Scientiam [sin minus omnes, & singulas alias facultates] Pisis traditam fuisse, ut patet, tum ex antea ostensis, tum ex quo Bartolus jam ab anno 1339. in hoc nostro Gymnasio publicè legeret, ut ex ejus vita constat (Quo anno propterea Pisanam universitatem à Benedicto XII. institutam nonnulli, cum Volaterrano, contendunt] imò etiam ab anno 1335. juxta Pancirolum *lib.* 2. *de Cl. Leg. Interpr. cap.* 53. ubi, & etiam *lib.* 4. *sub finem* de Academiis Europae

ropae differens, Pisanam fundatam anno 1320. fuisse statuit, quo anno Andreas Ciaffi Pisanus J.C. in Patria docuit, tum Franciscus Tigrinus item Pisanus, cujus aliqua commentaria sibi Bartolum tribuisse innuit, Baldi Perusini Praeceptor, atque alii deinceps. Physicam quoque, & medicinam Pisis, longè ante illam aetatem, traditam fuisse, colligi potest ex vita S. Raynerii Pisani, qui anno 1160. ad Deum abiit, apud Papebrochium 17. Junii, nam ibi *num* 127. sermo est de *Magistro Hugone Physicalis doctrinae laurea redimito*, qui & alibi expressè *Medicus* vocatur. Nescio autem, an hoc loco afferri mereatur, quod de Pisanae Academiae institutione tradit Andreas Mendo S. J. *de jure Academico lib.* 1. n. 26. qui illam *à Rabano*, *Alcuino*, *& Claudio* (Viris octavo saeculo viventibus, & Academiae Parisiensis, sub Carolo Magno, Fundatoribus) *institutam anno* 1339. asserit: subdens, quod *Aldus Manutius legavit testamento octoginta mille libros huic Academiae : cujus meminere Franciscus Scotus in Itinerario Italiae, Menochius lib.* 2. *de Arbitrariis, Jason in l. Quidam cum filium ff. de verb. obligat. Ancboran. ad Clementin. de Magistris.* Quas utique citationes ad mentionem ipsius Academiae Pisanae, non ad insignis illius Bibliothecae legatum pertinere arbitror, cujus nec vola, nec vestigium hic loci extat, vel umquam extasse, ullo indicio colligitur: unde eam sibi fidem in hoc facto conciliat Auctor, qualem in superioris Anachronismi palmari errore proferendo commeruit.

13. Haec non in qualibet Sigeberti, ejusque additionum editione habentur, sed in genuino dumtaxat Roberti Montensis Auctario, quod cum Operibus Guiberti Abbatis S. Mariae de Novingento editum est à Cl. D. Luca Dacherio Parisiis 1651. Quod autem ex Bibliotheca Joannis Ristorii Nindani cum insertionibus Galfridi prodiit Francofurti 1583. & alibi pluries, ut suppositititium ab Eruditis exploditur, nec certè respondet annis ibidem expressis, qui usque ad 1210. perveniunt, cùm anno 1186. Robertus verus desierit in humanis esse.

14. Irnerium ante annum 1150. diem suum obiisse osten-

ostenditur ex Glossa *in cap. post appellationem* §. *Forma* 2. *qu.* 6. *verbo MCLXI.* ubi antiquus iste Glossator Ugo, sive Ugutio Vercellensis, qui circa annum 1196. Ferrariae Episcopus est electus, notat: *Quod hic est falsa littera* [uti revera est, ob transpositionem notae X. debuerat enim exprimi MCXLI. ut congrueret indictioni IV. ibidem appositae, ac responderet tempori, quo simul vivebant, tum ipse G, idest Gualterius S. Ravennatis Ecclesiae Archiepiscopus, a quo fit appellatio in ea formula, tum Episcopus Rheginae Ecclesiae A, quem *Adelmum*, sive *Adelinum* malè interpretantur, fermè biennio ante demortuum, cum tunc ex ea sede jus divinum ediceret *Albertus*, uti ex novissima Ughelli editione liquet] *quia non sunt tot anni, quod liber iste compositus fuit. Fuit enim editus iste liber, scilicet Decreti, docente Jacobo Bononiensi in legibus; & Alexandro in Theologia, qui fuit postea Alexander III. & fuit anno MCL. ut ex Chronicis patet.* Constat verò, Jacobum illum fuisse Irnerii successorem ex Othone Murena ejus saeculi Scriptore, qui narrans Conventum Italiae Principum anno 1158. indictum à Friderico I. Imperatore die S. Martini apud Roncallias inter Cremonam, & Placentiam, cui Caesar quatuor praecipuos Legum Doctores Bononiae docentes interesse voluit, scilicet Bulgarum, Martinum, Jacobum, & Hugonem, subdit. *Istorum autem, quatuor, & quamplurimorum aliorum fuit Dominus Guarnerius* [idem qui & Irnerius] *Doctor antiquior, ad quem cùm in extremis laborasset, accesserunt sui scholares, dicentes. Domine, quem vultis post mortem vestram, doctorem nobis constituere? Quibus ipse respondit per duo carmina infrascripta.*

Bulgarus Os aureum; Martinus copia legum;
Hugo mens Legum; Jacobus id quod ego.

Et sic Dominus Jacobus fuit Doctor. Patet igitur, quod ante annum 1150. Irnerius obierat; imò inde evinci potest, ne quidem ad annum 1145. illum pervenisse: quatenus hoc anno tradit Ciacconius ab Eugenio III. in Cardinalium numerum cooptatum fuisse Rollandum illum Bandinellum,

nellum, five Paperonum, qui deinde Alexander III. Pontifex factus est; Unde, si is Theologiam Bononiae profitebatur, dum Jacobus Irnerii fucceffor Leges interpretaretur, oportuit Irnerium ante praedictum annum 1145. è vivis jam fublatum esse; & quamvis reverà longe ferius Rollandum ad Cardinalitiae dignitatis culmen evectum fuiffe mihi facile perfuadeam; idque vel inde evidens fit, quod titulus Diaconiae SS. Cofmae, & Damiani, quem illi ab Eugenio attributum in prima creatione opinantur, nondum vacabat, fed Guido ejufdem Pontificis Cancellarius tunc illo potiebatur; neque in ullis Eugenii Bullis ab Ughellio relatis, aut in Bullario, five in quavis alia collectione extantibus, Rollandi Cardinalis nomen fubfcriptum cum aliis legatur ante annum 1151. ut planè conftet, nonnifi in tertia creatione Menfis Decembris anno 1150. ipfum inter Cardinales adlectum dici poffe: cùm tamen antea, ex Vaticani Codicis auctoritate apud Baronium is Canonicus fuerit Ecclefiae Pifanae (unde reipfa anno 1147. five 1148. more Pifano, fubfcriptus legitur Emphytheoticae conceffioni, quam Villanus Archiepifcopus indulfit Monafterio meo S. Michaelis, & Ildebrando ejus Abbati, cujufdam terrae prope Ecclefiam S. Petri ad Gradus, ut videre eft in documento, quod in *Append. Vet. Monum.* referam num. XXIV. imò & anno communi 1141. feu 1142. Pifano fubfcribit cuidam tranfactioni *ibidem num. XX.* referendae) fateri neceffe fuerit, ante dictum annum 1145. Bononiae Theologicam Cathedram illum infediffe, inde fortaffe ad Pifanam Academiam erudiendam migraffe, ubi & Canonicalem Praebendam obtinuerit, poftquam Bononienfe Archigymnafium doctrina fua illuftraverat, Collega exiftens Jacobi, poft Irnerium, Legum interpretis, cùm Gratiani Decretum ederetur. Confequens igitur eft, ut Irnerius ante praedictum annum vivere defierit.

Imò & fortaffe vel ante annum 1140. Irnerii deceffus poteft fupponi, fiquidem ejus fucceffor Jacobus anno 1161. obierit, ut ex Bartholomaei Brixienfis fupputatione colligit Pancirolus de *clar. Leg. interpr. lib. 2. cap.* 16. cùm pluf-

plusquam quatuor lustris eam Juris cathedram moderasse Jacobus ille dicatur ab Jacobo Torto Papiensi in quadam ejus consultatione; tantum abest, ut Irnerium ad annum 1190 pervenisse tueri quis possit: tametsi Guido Pancirolus, Joannes Ficardus, Marcus Mantua, Valentinus Forsterus, aliique id asseverare non dubitaverint; quod vel ex eo satis absurdum evincitur, quia omnes ejus discipuli ipsum morte praecessissent. Bulgarus enim, qui certè non immaturo fato decessit, quippe qui Filium ex primis nuptiis habebat celebrem Jurisconsultum, qui non modicas opes causarum patrocinio cumulaverat, ac forte cathedram sibi à Patre resignatam [ut quibusdam placet] regebat: cui tamen praemortuo succedens Bulgarus dixisse fertur:

Ordine turbato, succedis Bulgare nato.

Bulgarus, inquam anno 1161. ut Sigonio placet, aut potius 1167. ut Alidosius tradit, diem suum obiit. Martinus anno 1170. aetatis suae 78. decessit, ex Pancirolo *de clar. Leg. interpr. l.* 2. *cap.* 14. Et Gravina *de ort.* & *propr. Jur. Civ. num.* 145. Hugo anno 1168. *cum diù docuisset*, juxta Pancirolum *ibi cap* 17. Jacobus, ut diximus anno 1161. vivere desiit. Unde consequens foret, Magistrum totis triginta, aut propè quadraginta annis supervixisse suis discipulis, si adusque annum 1190. Irnerius vitam perduxisset. Praeterquam quod nemo unquam persuaserit, verosimile videri posse, ut anno 1158. à Frederico I. Imperatore non convocaretur & ipse Irnerius ad Roncalliensia Comitia, si tum superstes fuisset [praesertim si Germanus homo censeatur, ut multi contendunt] sed solis ejus quatuor discipulis junioribus [& quidem Italis omnibus] eum honorem Caesar deferre voluerit.

Fortasse autem ne ad annum quidem 1116. pervenit Irnerius, si idem cum Garnerio B. Lanfranci socio haberi debeat. Pone enim vel maximè adolescentem in comitatu Lanfranci Bononiam venientis illum fuisse: utique saltem XVI. annos tunc excessisse supponendus erit, ut jurisprudentiae studio aptus esset anno 1032. quo *repertis apud Bononiam Legibus, operam dederunt eas legere, & aliis*

[mox

[mox suo tempore] *exponere*, ut ait Robertus Montensis; quare anno 1116. Guarnerius, sive Irnerius noster centenario major fuisset, praedictisque discipulis instituendis operam in extrema senectute navasset.

Quibus ritè perpensis, verosimilius statuenda erit distinctio inter Garnerium nostri B. Lanfranci Comitem, ac Wernerum, sive Irnerium, Bulgari, Martini, aliorumque Veterum Jurisconsultorum institutorem; & hic quidem ad Lotharii II. tempora pervenire potuerit: ille non item. De postremo itaque loquutum arbitror Conradum Abbatem Urspergensem, qui Mathildae Comitissae rogatu ipsum in id muneris incubuisse tradit, ut leges exponeret, atque illustraret; quod aliquo ante Lotharii imperium tempore aggressum illum fuisse oportuit: siquidem Mathildes illa celeberrima Comitissa Italiae anno 1115. decennio scilicet ante Lotharii Caesaris electionem, fato functa est; nec enim aliud evincit Abbatis Urspergensis auctoritas, nisi quod ad Lotharii usque tempora primus hic, & eximius Legum interpres pervenerit; quod contingere potuit, si circa annum 1102. Mathildis hortatu Legibus exponendis Irnerius incubuerit, & usque ad annum 1140 (cujus notae Saracenicae in 1190 facili corruptione mutari potuerunt) superstes fuerit, ut Oudinus in suo commentario *de Script. Eccles. V. Irnerius* opinatur. Sic & Sigonius, licet in libris de Regno Italiae, quos antea conscripserat, vulgari opinione Decreti Lothariani seductus, ad annum 1137. Urspergensem Abbatem insugillasset, quòd Mathildis rogatu Irnerium interpretando Juri Civili operam dedisse scripserit: nihilominus in Historia Bononiensi, quam postea ex tabulis ipsis Bononiensibus concinnare est aggressus, & cui ipsemet anno 1585 immortuus est, in argumento historico anni 1102. haec verba habet: *Irnerius philosophiam Bononiae docens, Mathildae rogatu Pandectas interpretari coepit, & primus in eas glossas scripsit.*

Sanè quatuor illi Bononienses Professores, qui, ut Nihusio rem gratam facerent, cui cum Calixto gravis erat de hoc argumento controversia, relationem de vita Irne-

rii

rii illi transmiserunt anno 1641. ipsum ante annum 1150. mortuúm fatentur; sed dum contendunt, eundem sub Lothario II., atque ejus jussu primam interpretandis Romanis Legibus operam impendisse anno 1128. rem planè universae historiae repugnantem adstruunt: cùm nullum in Italiam jus adhuc esset Lothario, qui tantum anno 1136. in suam clientelam Bononienses recepit, instante Henrico Bavariae Duce ejus Genero, ut Abbas Urspergensis enarrat: neque Alidosii, aut Joannis Bonifacii, quos allegant, testimonium attendi meretur, cùm nimis ab aetate Irnerii uterque sit remotus; nec Epigraphe Irnerii Imagini à Bononiensibus apposita: *Irnerius omnium primus Leges commentatus est anno MCXXVIII.* de Lothario meminit, nec demum ejus antiquitatis est, ut rem conficiat. Quamquam exponi commodè posset de Commentariis scriptis, quae ad posteritatem manarint: cùm antea tum ipse, tum alii ejus Antecessores Lanfrancus, Garnerius, Pepo, voce dumtaxat, Leges explicare contenti essent, Justiniano obtemperantes, qui ejusmodi Glossas, & Commentaria Constitutionibus, & Decretis suis adjungi vetuit, (ut ad finem *notae* 8. supra ostendimus) praesertim *Constit. tanta C. de vet. jur. enucl. Nemo vestrum audeat vel comparare eas* [Leges] *prioribus, vel siquid dissonans in utroque est, requirere, quia omne quod hic positum est, hoc unicum, & solum observari sancimus. Nemo audeat commentarios iisdem Legibus adnectere, &c.* Et antea in *Constit Deo Auctore eod. tit.* quae & Digestis praemittitur, sic inquit: *Nostram autem consummationem, quae à nobis, Deo annuente, componetur, Digestorum, vel Pandectarum nomen habere sancimus, nullis Jurisperitis imposterum audentibus commentarios illi applicare, & verbositate sua supradicti Codicis compendium confundere, quemadmodum in antiquioribus temporibus factum est, cum per contrarias interpretantium sententias totum penè jus conturbatum est.* Confer superiùs adducta *loc. cit.*

Atque haec causà est, ut obiter innuam, cur ante Irnerium Interpretibus, & Glossatoribus Legum careamus; quemadmodum & ante Carolum de Tocco, & Andream

de Barulo nulla habebantur commentaria Legum Langobardarum, quarum nihilominus vigor, & peritia tam latè patebat, atque à tot Judicibus servabatur; non enim audebant Legum majestatem propriis interpretamentis violare, contra expressum ipsius Legislatoris mandatum. Adde quod, siqui erant ante Irnerium, qui peculiaribus expositionibus, & allegationibus Justiniani decreta illustrassent, eorum in messem recentiores ingressi sunt, ac illorum manipulis diligenter excussis, uberrimum eorum fructum sua in horrea asportarunt, ut suae doctrinae opinionem discipulis ingererent: ut prodit Roffredus Beneventanus, qui Azonis Discipulus fuit, & usque ab anno 1215. Aretium invitatus est, ut ibi Leges interpretaretur. Is enim in suis *quaest. Sabbatinis* apertè inquit. *Glossas, quas fecerunt Doctores antiqui, mortui jam multis retro temporibus, viventes Doctores, & Domini sibi appropriant, & adscribunt, ut consequantur laudem scholarium, gloriam omnium, & favorem & ideo istud metuens, meum nomen per initia quaestionum appositum studiosus Lector poterit invenire.* Itaque non usque adeò exploratum est, an non alii vetustiores Interpretes, & Glossarum Auctores Irnerium hunc praecesserint, ut Rogerius ille, qui floruit tempore Henrici III dicti Nigri, Civilis Juris Glossator, quem commemorat Vitus Golantus in notis ad Petrum de Bella Pertica, & Petrus Abaylardus, qui ante annum 1120. quo coepit in Synodo Suessionensi haereseos expostulari, commentaria aliqua in jus civile scripserat, ex quibus mirum est, eam solam particulam ejus nomine in vulgatis Glossis citari, qua se fassus est ingenuè, sensum Legis non potuisse percipere; nam Auctor Glossae *in l. quinque pedes C. Finium regund.* sic ait: *sed Petrus Baylardus, qui se jactavit, quod ex qualibet quantumcunque difficili littera traheret aliquem sanum intellectum, hic dicit: nescio.* Ut alios omittam, a Clariss. Alexandro J. U. Doctore, & Philosopho Platonico in suo Apologetico Augustali ad aetatem sextam *pag. 75. & seqq.* praesertim commemoratos, quos verosimile est, suis expositionibus scripto commissis, Jus Caesareum

reum, quod profitebantur, illustrasse. Verum de his, occasione Irnerii saeculo XII. florentis, hactenus disseruisse sufficiat.

Nunc de primo illo Garnerio Lanfranci socio, vel fortasse etiam discipulo aliqua dicenda occurrunt. Is exeunte saeculo XI. obiisse videtur, puta altero post Lanfrancum anno, nempe 1090. [unde etiam alius fons aequivocationis, de morte Irnerii ad annum 1190 relata, peti posset] quodcunque fuerit ejus studiorum fatum, & qualescunque Bononiae, aut alibi discipulos instituerit, quos inter ipse fortasse celebris Irnerius Glossator recenseri posset, cùm Magistro suo Guarnerio deinceps confusus. Potuit & Lanfrancum in Gallias comitari Guarnerius, atque ut ille in Beccensi, sic iste in Divionensi Monasterio Monachum induere, ubi Praepositus evasit, ac multis virtutibus claruit, ut in ejus vita, cujus mentio habetur *in docume n. Transl. S. Medardi* apud Papebrochium die 8. Junii.

Sed dum alias ex aliis conjecturas serimus; Quid si *Guarnerium* illum potius suspicemur eundem esse, ac *Gualterium* [mutatis *r*, *n* litteris in *l*, *t*] socium Ivonis Magistri S. Petri Damiani, cujus meminit S. Doctor *opusc.* 45. aliàs epist. 17. *lib.* 6. § Is verò ante obitum ejusdem Petri Damiani, nempe ante annum 1072. occisus periit, ut S. Doctor ibidem enarrat, dicens. *Gualterus planè Magistri mei, scilicet Ivonis, socius fuit, qui per XXX fermè annos ita per occiduos fines sapientiam persecutus est, ut de regnis ad regna contenderet, & non modò Theutonum, Gallorum, sed & Saracenorum quoque Hispaniensium urbes, oppida simul, atque provincias penetraret; sed mox ut studiis toto, ut ita loquar, orbe corrasis, exilium habitatione mutavit, & jam velut in pace compositus docere pueros coepit: aemuli sui, cujusdam videlicet alterius Sapientis necessarii, vel fautores, eum simpliciter gradientem ex insidiis occiderunt, &c.* Quis porrò fuerit *Ivo* S. Doctoris nostri Magister, Gualteri Comes, aliunde mihi prorsus ignotum fateor; nec enim ad S. Ivonem Carnotensem 3. Lanfranci discipulum id muneris referre possumus, aetate juniorem Damiano, nec nisi tempore Urbani II.

ni II. in Italiam progressum; Sed aliquis eo nomine intelligendus Parmae, aut Faventiae tradendis scientiis addictus; iis enim in urbibus se litterarum studiis incubuisse docet ipse Damianus *opusc.* 36. *alias ep.* 17. *lib.* 2. *&* *opusc.* 51. *alias ep.* 30. *lib.* 6. *& opusc.* 42. *alias ep.* 16 *lib.* 5. aut forte quispiam Bononiensis Lycei Professor; nam & illic versatum fuisse S. Doctorem nostrum, imò & scientias ibidem professum esse docet Vir eruditissimus Alexander Macchiavellus J. U. D. Collegiatus, & in Patrio Athenaeo Legum interpres in sua Apologia Theodosiani Diplomatis pro Archigymnasio, *pag.* 34. 42. *&* 75 id colligens ex Vulpio Codriano in quodam festivo Poemate, in quo enumeratis aliquot antiquis Bononiae Professoribus, sic prosequitur.

. . . quos doctus tamen, piusque praecessit omnes
Damiani Frater Divus nomine Petrus.

Quam in rem etiam in litteris ad me Bononia datis pridie nonas Maii anni hujus MDCCXXVII. adducit vetustam inscriptionem, barbaro charactere jam inde ab anno 1493. incisam, in qua haec verba haberi testatur: *nec non in honorem SS. aliquando Archigymnasii Publicorum Professorum, Petri Cardinalis Damiani, &c.* Unde & potuit Juo, ejusque collega Gualterius inter ejusdem Archigymnasii Professores jure censeri, ex quibus quamplures alios per eam aetatem ibidem florentes praelaudatus Macchiavellus enumerat.

15. Prius tamen in Abrincensi urbe Lanfrancus docuit, uti narrat Milo Crispinus *in ejus vita cap.* 1. ubi sic habet: *Patria egressus, & Alpes transgressus in Gallias venit tempore Henrici Regis Francorum, & gloriosi ducis Normannorum Guilielmi, qui Angliam sibi armis subegit; & pertransiens Franciam, quamplures magni nominis scholares secum habens, in Normanniam pervenit, & in Abrincatensi civitate demoratus, per aliquod tempus docuit.*

16. Vide, quae fusius dicta sunt supra *Nota* 14. circa distinctionem Irnerii à Guarnerio: nisi enim velimus, Bulgari, Jacobi, aliorumque ejus temporis Jurisconsultorum doctri-

doctrinam, mediantibus aliis vetustioribus Irnerii discipulis, ab eodem Irnerio Doctore derivatam fateri [ut passim Azo à quibusdam Irnerii discipulus dicitur, cùm tamen à Bulgaro institutus fuerit, quem Irnerii Auditorem faciunt] non est quod speremus, Garnerii comitis B. Lanfranci, cum Irnerio Juris Glossatore celeberrimo, identitatem [ut appellant] commodè posse defendi.

17. Adde & Calixtum, qui *in Arte nova pag.* 114. haec habet: *Invaluit hodie opinio, auctoritate, jussuque Lotharii, Justinianeum jus in scholas, & forum revocatum fuisse; sed id nemo veterum mihi lectorum vel verbo innuit, nedum adseruit*. Cui accedit Clarifs. Muratorii pariter suffragium, qui in doctissima praefatione ad Leges Langobardicas *par.* 2. *tom.* 1. *Rerum Italic.* eidem sententiae subscribit; Idque sequentia amplius confirmant.

18. Sanè paucis à Lotharii morte annis, nempe anno 1154. Obertus ab Horto Mediolanensis, scribens Anselmo filio suo, ut eum de feudalibus juribus erudiret, *cap.* 1. *lib.* 2 *de feudi cognitione*, sic habet *Causarum, quarum cognitio frequenter nobis committitur, aliae dirimuntur Jure Romano, aliae verò Legibus Langobardorum, aliae autem secundum consuetudinem, &c.* Et infra: *Legum autem Romanarum non est vilis auctoritas, sed non adeò vim suam extendunt, ut usum vincant, aut mores, &c.* Quae loquendi formula impropria esset, si unicè secundum Romanas Leges Lotharius recenti suo Decreto judicandum praecepisset. Adde, quod Carolus de Tocco insignis Jurisconsulti filius, cùm Bononiae sub Placentino, Joanne, Ottone Papiensi, & Bagarotto, ex Irnerii Schola celeberrimis Doctoribus, operam Legum Studio dedisset, anno 1162. à Rege Neapolis Guilielmo Judex magnae Curiae electus, in Leges Langobardicas commentarium edidit; tantum abest, ut à Lothario abrogatae censerentur! Imò praedictus Guilielmus Rex in Constitutione *Puritatem. De praestando Sacramento lib.* 1. earundem Legum Langobardarum observantiam expressè commendat. Andreas quoque Bonellus, dictus de Barulo, qui sequenti saeculo vixit, paulò an-

lò ante quàm à Friderico II. Advocatus Fisci Regii eligeretur, Tractatum scripsit *de differentia inter Leges Romanas, & Langobardicas ea occasione, quam ipsemet festivè narrat*, quod scilicet, ob Legis Langobardicae ignorantiam, praecipuus quidam Romani Juris Consultus à vulgari Legulejo confusus fuerat in judicio, & causa ceciderat. *Vidi enim saepe*, inquit, *Magnos Advocatos, in Jure Romano valde expertos, verecundatos a minimis Advocatis, jus Langobardorum scientibus; & praecipuè cùm nuper quadam die in foro contentioso manerem, quidam optimus Advocatus, dum multa de jure Romano pro suo Cliente allegasset; surrexit quidam Advocatellus, & ostendit Langobardorum jus in contrarium Judici, quod subtus cappam tenebat absconsum; & sic Advocatellus in Causa obtinuit; Nam in casu illo jus Langobardorum discordat à Romano. Ille autem magnus Advocatus remansit frigidus, & verecundatus, videns se ab impari, & tam de facili superatum; Et jus Romanum non ibi proderat allegare, cùm esset in contrarium jus Langobardorum & illa hora coepi in animo cogitare hoc opusculum*. Ex quo perspicuum est, nullum planè fuisse Lotharii II. Decretum, de abroganda Langobardorum Lege, & secundum Romana Jura deinceps ubique judiciis moderandis. Id quod in celebri aliquo Principum Conventu decernere debuisset Lotharius, ac ejusmodi novum Decretum Codici Legum adjungere [ut à Friderico II. factum de jure Feudorum] ut ejus observantiam commendaret; Atque insuper, siquid ejusmodi jussisset utcunque Lotharius, aliquod saltem tam memorabilis Edicti, & ad omnium Judicum notitiam proferendi exemplar extaret, in aliqua Curia, in Archivo aliquo conservatum.

19. Magis cohaerentem sententiam tenuit Astensis, qui *lib.* 1. *cap.* 9. hanc quoque praetensam Pandectarum apud Amalphim inventionem, aequè ac Lotharii diplomata, sive pro illarum donatione Pisanis facta, sive pro decernenda Romanarum Legum interpretatione in Bononiensi Academia, earumque unico usu in Tribunalibus, cum juris Langobardici derogatione, falsitatis arguit, mihique

ejus

ejus librum tunc, cum haec fcriberem, ignoranti palmam detecti tam palmaris mendacii, tam communi aliàs errore paffim recepti, praeripuit. Sed dummodò veritas illuftretur, parum refert, quis prior errorum caliginem ab illa difcutiat.

20. Afferam horum chronicorum textus huc pertinentes, ne Lector aliunde illa repetere cogatur, ut de tota re aptius judicium ferat. Itaque Chronica Pifana ex MSS. Codice pergameno Benedicti Leoli apud Ughellium in utraque impreffione; & *tom. 6. Rer. Italic.* edita fic habent *MCXXXVI.* (more utique Pifano, fed Romano more MCXXXV.) *fecerunt Pifani ftolum, mirabilem hominum multitudinem continentem contra Rogerium Siciliae Comitem, qui faciebat fe vocari in tota terra fua Regem Italiae. Hic, inquam, exercitus Pifanorum cepit Amalphiam, cum Civitatibus circum fe pofitis quatuor; fed Civitatibus captis, de confilio eorundem captivorum factum eft, ut irent obfidere arcem, quae dicitur Le Fratte, ubi magna parte Pifani exercitus exiftente, venit exercitus militum, & peditum praefati Comitis, & fugavit exercitum Pifanorum, qui erat ibi. Horum tamen alii falui remearunt, alii in via capti, & occifi, alii ab ipfis militibus detenti fuerunt. Poft biennium quoque fecerunt iidem Pifani exercitum non modicum contra eumdem Comitem, & ceperunt eafdem Civitates, Amalphiam, Rivellum, Afcani, Scalam, & Scalettam, & multò magis expoliaverunt eas quam primùm, quibus triumphatis venerunt Salernum, & coëgerunt eum ad deditionem.*

Breviarium autem Pifanae Hiftoriae, ab Ughello ex codice Caroli Strozzae Florentini olim impreffum in utraque ejus operis editione, fed auctius, & emendatius ex MS. Lucenfi *tom. 6. Rer. Italic.* à Muratorio recufum, fic habet. *Anno* 1136. (utique Pifano, communi verò 1135.) *de Mandato Summi Pontificis, Pifani XLVI. Galeas armaverunt, & in Siciliam transfretaverunt* [fcilicet in Dominum Siciliae Rogerium) *& pugnando, & praeliando audaciter, Civitates Amalphitanam, Ravelli, Scalam, & Scalellam majorem, & minorem ceperunt. Sed cum tertia die poft*

 prae-

praedictam victoriam, Pisanorum pars obsideret fractos Castri Rivelli cum aedificiis, & Gattis, Rogerius supradictus, qui apud Salernum tunc erat cum septem millibus militum, & LX. Galeis, & multo alio populo Pisanos obsidentes dictum Castrum devicit, & fugavit usque ad Mare, & ex eis 596 cepit. Post dies autem 23. devastata Yschia majori, Pisani sexto idus Septembris Pisas reversi sunt.

Anno 1138. (nempe 1137. communi) *Pisani iterum fecerunt stolum contra suprascriptum Rogerium, & devicerunt, sibique tributarias fecerunt Civitates Amalphi, Trani, Scalae Scalellae, & Fractae Rocchae, & Pugrelae, & totum Amalphitanum Ducatum, ipsasque jurare fecerunt, ex tunc Domno Papae Innocentio, & Imperatori Lottario obedire, ut Dominis, contra praedictum Rogerium.*

21. Utraque expeditio, à Pisanis in Amalphitanos suscepta, diligenter à Falcone describitur. Prima ad annum 1135. his verbis. *Populus Pisanorum cum aliis viginti Navigiis, quae supervenerunt, Civitatem Amalphitanam pergunt, & eam comprehendunt, & ejus universa bona diripiunt, sicque divitiis multis locupletati Pisas redeunt.* Secunda ad annum 1137. ibi: *Haec inter, Pisanorum exercitus, sicut juraverat, centum navigiis armatis, ad Civitatem pervenit Neapolitanam; Nec mora: jussu praedicti Imperatoris, super Civitatem Amalphitanam festinat, excogitans igne, ferroque eam depopulari. Cives autem Amalphitani, consilio salutis invento, pecunia multa data, ad Imperatoris, & Pisanorum permansit fidelitatem. Inde super Rebellum, & Scalam properantes eas inuadunt, & universa eorum bona diripientes, in ore ignis, & gladii eas consumunt. Viros quoque, & mulieres, cum eorum parvulis captivos perducunt, sicque super tali uindicta gavisi, ultra quàm credi potest, insultant.*

22. Alexander Abbas Telesinus primam dumtaxat Pisanorum expeditionem describere videtur *lib.* 3. *cap.* 24. his verbis. *Venientes itaque ipsi Pisani subito, incboante Aurorae luce, invaserunt Urbem* [Amalphim] *nulloque resistente, eam funditus, impieque depopulantur. Cumque, urbe tota depopulata, universa ad Classem spolia transportata fuissent*

mox

mox Scala Oppido, caeterisque Amalphiae munitionibus invasis, novissimò quoddam munimen, quod dicitur Fratta, oppugnare nituntur. Deinde *cap.* 25. sic prosequitur: *dum ergo praefatum munimen, sicut jam dictum est, expugnaretur, ecce regius exercitus* (Rogerii) *ex improviso irrumpens, partem ipsorum caede prosternunt, partem verò captionis violentia subdunt, quorum videlicet numerus, inter necatos, & captos, mille quingenti fuisse referuntur. Ex Consulibus autem eorum, duo capti sunt, tertius verò percussus interiit, qui autem ad puppes remanserant, vel timore coacti ad eas fuerant reversi, innumeris, quibus onustati fuerant spoliis, fugam arripiendo evaserunt. Liburnarum verò numerum, quidam asserunt fuisse quadraginta tres, alii verò plures; captivorum autem multitudinem per diversa Rex dispertiens loca vinculis mancipandos direxit.*

23. Romualdus pariter Salernitanus de prima Pisanorum expeditione verba faciens in suo chronico, haec habet. *Galeae verò Pisanorum super Amalphiam venientes, eam immunitam, & hujus rei nesciam ceperunt, & expoliaverunt. Quod audiens Rex Rogerius, qui tunc temporis in Terra Laboris erat, misso exercitu suo, Pisanos, qui adhuc in Amalphiae partibus morabantur, fugavit; & multos eorum in ore gladii perdidit, & sic civitatem liberavit.*

24. Berchmannus eam historiam inter judicia de Pandectis *pag.* 410. exscripsit, his verbis conceptam. *Incomincia la guerra contro il Re Rogerio de Cicilia, inimico della Chiesa Romana. Per la qual cosa dell'anno MCXXXVI.* [stylo communi MCXXXV.] *il tredici di Zugno si fece il Concilio in Roma, al quale furono molti Cardinali, Orcbepiscopi, Episcopi, Abbati, e Sacerdoti con molti Signori, & Oratori. El qual Concilio durò insino all'ottavo idus Junii* (legendum fortasse *Julii*, aliàs nimis apertè & absurdè hic impostor sibi contradiceret, nam coeptum Concilium die 13. affirmaret terminum habuisse die 6. ejusdem Junii mensis) *e per comandamento di esso Sommo Pontefice Papa Innocenzio II. li Pisani pridie nonas Augusti armorno 46. Galee, & furno a la costa de Malfi, e quello dì per forzia lo presero, cum*

septe

ſepte galee, & doe nave, in la quali ritrovorno le Pandette compoſte dalla Regia Maeſtà di Juſtiniano Imperadore, e da poi quella bruſorno, & l' altro dì andorno a Trani, e quello preſono a forzia, &c. Qua in narratiuncula ipſemet Berchmannus *diſſert. altera de Amalphi à Piſan. direpta* candidè fatetur, *multa occurrere rerum veritati contraria, quin & ipſi probabilitati*. Sed palmarium illud imprimis, quod Concilium Romae habitum ab Innocentio II. perfrictâ fronte nobis obtrudit Auctor, cum per eos dies certiſſimè Pontifex Piſis ſe contineret: *quem*, ait D Bernardus *Ep.*140. de ipſo Innocentio ad Lotharium pro Piſanis ſcribens, *jam dudum exulem Piſani apud ſe cum ſummo bonore ſervabant, & ſervant*. Huic proximum eſt, quod *ipſamet die* pridie nonas Auguſti, & Triremes armaſſe, & Melphiam [quam cum Amalphi, urbem ſcilicet mediterraneam cum maritima, imperitè confundit] Piſanos adveniſſe, ac diripuiſſe tradit. Tertium eſt, quod Urbem ipſam incenderint Piſani victores; hoc autem, ut ipſemet Berchmannus obſervat, *ab omni veri ſpecie alienum eſt, ac nemo veterum, nemo recentium Hiſtoricorum id tradit: nec id profectò ſiluiſſet Abbas Teleſinus, qui eam Piſanorum invaſionem adeò exaggerat, ut propterea Piſanos, Pyratas appellet*; unde concludit: *Nihil ergo deferendum eſt huic ſcriptori*; Qui etiam explodendus eſt, tum ex quo Piſanos *altera die* Tranum veniſſe ex Amalphi comminiſcatur, illorum ſcilicet navigia ex Tyrrheno in Adriaticum mare tam citò transferens, tum quòd binas expeditiones Amalphitanas in unam confuderit, meritò reprehendendus venit ab ipſis Piſanis. Cur enim concivis ipſe primam dumtaxat expeditionem anno 1135. ſuſceptam à ſuis Majoribus in medium profert, in qua à Rogerii exercitu malè mulctati Piſani ipſi fuerunt, ipſis, & eorum Conſulibus in vincula conjectis [ut ex aliis Piſanis Chronicis ſupra relatis, & ex Teleſino Abbate conſtat] diſſimulat verò expeditionem alteram biennio poſt ab ipſis Piſanis promotam, quae illis undequaque optimè ceſſit, tota Amalphitana regione ſibi tributaria facta, & ad Caeſaris, ac Pontificis Innocentii obſequium revocata?

cata? Et ex hoc Scriptore, cujus unicum, & singulare testimonium inventionis Pandectarum apud Amalphim, tot mendaciis infartum, post ducentos saltem ab illa expeditione annos prolatum fingitur, ejusmodi factum, per se adeò inverisimile, atque omnibus coaevis Historicis ignotum, atque eatenus inauditum, nobis imponi patiemur, nec dignum existimabimus, quod eodem loco habeatur cum tot aliis commentis, quibus insulsa illa narratio scatet, quaeque ejus auctoritatem, ac fidem, per se undecunque nutantem, atque ultrò collabentem, penitus labefactant?

25. Scriptor hic, quem mihi penitus ignotum censebam, ante viginti fermè annos in manus meas inciderat, ejusque exemplar fortasse unicum, & singularitate sua aestimandum, unà cum aliis graecis, latinisque MSS. Codicibus Bibliothecae Classensis Coenobii nostri à Reverendiss. D. Petro Canneto Abbate tunc instauratae transmiseram: sed cùm is praelia Thusciae incompto carmine cecinerit, laudatum verò à Taurellio, de Bello Thusco scribentem, opinatus essem, soluta oratione Pisanorum res gestas enarrasse, ideò suspicatus non fueram, de illo Auctore, quem videram, intelligendum esse Taurellium. Sed idem eruditissius Vir Cannetus Abbas, cùm nostram illi epistolam communicassem, opportunè monuit, verum hujus scriptoris nomen fuisse *F. Raynerium Granchi Ordinis Praedicatorum*, qui in suo illo poemate *de Praeliis Thusciae* octo libris comprehenso, sub finem libri III. ad hoc propositum, & ipse *Melphiae vocabulo abutens, pro Amalphi*, tres versiculos inserit, in eadem Cl. Canneti epistola commemoratos, quam per extensum hoc loco adducere non pigebit. Sic ergo ille habet.

V. Cl. D. Guidoni Grando
S. Michaelis in Burgo Pisarum Abbati
D. Petrus Cannetus Abb. S. Salv. Forol. S. P. D.

Malo fato beù factum est, meaque culpa, ut amica epistolarum commercia biennio ferè inter Nos intercepta sint, me silente. Exilii propterea, & ingenti perfusus sum laetitia, quum datis ad me litteris aurem mihi blandè vellicasti. Neque litterarum

officio

officio contentus Dissertationem tuam de Pandectis muneris loco addidisti, ut duplici ista dilectionis significatione ad intermissa officia longo veluti postliminio me revocares. Quamobrem gratias quantas possum reddo humanitati tuae, tuoque amori in me maximo, ingentes, & immortales. Legi statim avidissimè dissertationem, qua implexam tractus Pandectarum, earumque translationis historiam, cui perscrutandae aliquam & ipse operam jamdiu adhibueram, ad Ambrosianae Epistolae a Te adductae verba illustranda. Placuit sanè scribendi occasio, magisque placeret, si integram Archivi istius chartam exhibuisses [integra affertur in hac editione, juxta Viri doctissimi votum in Appendice n.] *ejusmodi etenim Anecdota nullum legentibus pariunt fastidium, neque satietatem, sed legentes etiam, atque etiam alliciunt, eosque ad amandum provocant, qui merces istas, summo nunc in pretio habitas publicae exibent eruditioni. Placent uno verbo omnia, quae spisso labore collegisti, & acri, ut soles, mentis lumine ita perpendisti, ut meridiana luce clarior veritas hac de re, quam tractas, elucescat. At haesi, ubi num.* 16. *ais, te nescire, quid hominis fuerit Raynerius Pisanus, quem Taurellius Gracchiam, tu verò Graccu̅lum dicis, saeculi XIV. Scriptorem; imò an scriptor usquam is fuerit, scripseritve de bello Tusco quidquam, videris subdubitare. Omnis jam de medio abeat dubitatio, si membranaceum ipse Codicem tibi proferam, antiquum sanè, & eo saeculo scriptum, auro, minioque initialibus in litteris ornatum, in quo Raynerii Granchi Pisani Ordinis Praedicatorum Poema de Praeliis Thusciae in libros octo distributum habetur. Opus perquam incomptum & strigosum, neque tamen, si historiae monumenta respicias, omnino contemnendum. Quae tuam in rem attigit prope libri tertii finem, accipe.*

„ *Malfia Partenopes datur, & quando omne per equor*
„ *Unde fuit liber Pisanis gestus ab illis.*
„ *Juris & est Pisis pandecta Cesaris alti:*

Betto Griffio carmen suum Auctor nuncupavit.

Verùm unde Codex ejusmodi, cujus nullum alibi superest forsasse exemplar, unde emersit? a me petis optime, ac reverendissime

dissime Guido. Pisis prodiit annis prope ab hinc viginti, unà cum MSS. aliis bene multis, te curante, emente, ac Ravennam ad Classensis Bibliothecae incrementa, perquam officiosissimè mittente. Id sanè beneficium memoria repetere juvat, quod animo nunquam excidet tibi addictissimo. Vale.

Forolivii Prid. Non. Augusti MDCCXXVI.

Vides itaque, Lector, totum quantum est fabulosum hoc monstrum è *Gryphiorum* domo unice prodiisse. Nam historiola à Ludovico Bolognino commemorata, *in domo magnifici Viri Philippi Comitis, filii quondam nobilis, & insignis deaurati militis, & Comitis Joannis de Griffis Pisani*, servabatur, eademque à Taurellio commemorata apud *Plotium Gryphium Pisanum Civem* inventa est, aeque ac Raynerii Granchii commentarium de Bello Thusco, quod *Bello Gryphio* nuncupatum est. Sed & donationis Lotharianae instrumentum apud eundem *Plotium Gryphium* habebatur, Pestis averruncandae causa consultò igne consumptum, atque ita, expeditissimo compendio, indiscretae Recentiorum Historicorum Criticae subductum, ne suppositio proderetur. Mirum sanè, in aliorum Pisanae Nobilitatis Procerum domibus, nihil huic commento simile reperiri umquam potuisse; verùm illi has nugas non consectantur, nec ejusmodi malè consutis naeniis tam facilè indulgent, sed synceram, nullisque fucatam mendaciis veritatem amant, qualis in pervetustis Chronicis, ab Ughellio, & Muratorio editis apparet, nullo Grypho involutam, impeditamve, ut Oedipo sit opus ad eam ab erroribus extricandam.

26. In prima expeditione Amalphitana anni 1135. [cui Berchmannus fortuitam Pandectarum inventionem tribuendam censet] Lotharius, neque per se, neque per milites suos interfuit, imò Pisanis subiratus in Germania versabatur, ejusmodi Pisanorum expeditionis fortasse inscius, ut ex *Epist.* 140. D. Bernardi ad ipsum Lotharium scripta deducitur, quam integram hic damus. *Miror*, inquit, *cujus instinctu, vel consilio vigilantiae vestrae subripi potuerit, ut homines digni certè duplici honore, & gratia,*

con-

contraria à vobis audirent. Pisanos dico, qui PRIMI, & SOLI interim adhuc erexere vexillum adversùs invasores Imperii. Quàm justiùs in eos Regia incanduisset indignatio, qui populum strenuum, & devotum quacunque occasione offendere ausi sunt, eo praecipuè tempore, quo accincti in multis millibus suis exierunt expugnare Tyrannum, ulcisci injuriam Domini sui, & Imperialem defensare coronam? Ut enim congruentissimè assignem huic Genti, quod olim de S. David dicebatur, quaevam quaeso in omnibus civitatibus, sicut Pisa fidelis, egrediens, & regrediens, & pergens ad imperium Regis? Nonne hi sunt, qui nuper regni illum unicum, ac potentissimum hostem ab obsidione Neapolis fugaverunt? Nonne hi sunt, qui etiam, quod incredibile dictu est, in uno impetu suo expugnaverunt AMALPHIAM, & Rebellum, & Scalam, atque Atturinam, Civitates utique opulentissimas, & munitissimas, omnibusque, qui antehac tentaverunt, usque ad hoc tempus, ut ajunt, inexpugnabiles? Quam dignum quam aequum, quam plenum ratione, & justitia fuerat, ut Fidelium terra, interim saltem, dum haec actitarent, ab omni hoste secura consisteret: tum pro praesentia Summi Pontificis, quem jamdudum exulem Pisani apud se cum summo honore servabant, & servant: tum pro servitio Imperatoris, pro quo & ipsi tunc temporis exulabant? Factum est autem per contrarium, ut gratiam, qui offenderunt, & qui servierunt, iram mererentur. Sed vos fortassis adhuc ista NESCIEBATIS. Oportet ergo nunc, quando res est nota vobis, imò & decet, & expedit, mutare vos & verbum, & animum, ut Viri regiis magis favoribus, & muneribus honorandi, a vestra parte de caetero audiant, & recipiant, prout meriti sunt. O quantum meruere Pisani, quantum adhuc mereri possunt! Sat est dictum sapienti.

Quomodo igitur inter Caesarem, & Pisanos, qui *primi, & soli* Amalphim aggressi diripuerant, de divisione praedae agi potuit? Quomodo ex universa praeda solos Pandectarum libros hi expetierunt, quos constat *divitiis multis locupletatos*, ut ait Falco Beneventanus, *Pisas rediisse*? Quomodo egregia in ipsos liberalitas Lotharii absentis, & haec

haec gesta ignorantis, effulsit, solemni donatione Codicis unius, ignoti pretii, & exigui tunc usus, qui & in ejus potestate non fuerat, tot exanthlatos à Pisanis labores, tot impendia in expeditione contra Rogerium absumpta compensantis? Denique, si Bernardo Conciliatore opus fuit, ut Caesaris indignatio in Pisanos defervesceret, quis credat, hos potuisse tunc temporis donationem Pandectarum ab illo extorquere? Irascor sanè inofficiosis manibus, quae diploma tam praeclarum flammis perdere ausae sunt; quod utique non tentassent, si paucorum jugerum terrae, ad domesticum patrimonium spectantium, Contractum membrani illa expressisset; vehementer enim optarem, ex ejus Diplomatis lectione hos mihi scrupulos eximi, hos Gryphos exsolui.

Interim quae causa Lotharium tunc Pisanis infestum reddiderit, ad pleniorem epistolae illius D. Bernardi intelligentiam, obiter hoc loco aperire non erit incongruum. Nimirum Pisani, cùm Innocentium Pontificem in Concilio an. 1134. [sive 1135. Pisano stylo] Pisis celebrato, cui idem S. Bernardus interfuerat, stimulassent, ut Thusciae Ducatum Igilbardo, sive Ingilberto conferret, eundem Ducem in suam tutelam receperant, & contra Lucenses defenderant: anno verò sequenti 1135. [qui Pisanis 1136. numerabatur] occasione arrepta, quod militiae suae vires Pisani in Amalphitanam regionem converterant, Lucenses ipsum Ducem aggressi, apud Phocense Castrum Pisani territorii, eundem debellarunt, ac se Pisas recipere coëgerunt. Lotharius ergo Imperator, qui hujus Ducatus Investituram ad se pertinere contendebat, aegrè tulerat, Ducis hujus defensionem à Pisanis susceptam fuisse, Lucenses verò illum impugnantes maximis beneficiis affecit, eorumque in Pisana castra excursum probavit. In Breviario Pisanae historiae *tom. 6. Rer. Ital. pag.* 170. prava interpunctione, hujusce narrationis sensus turbatur: nam Ingelbertus ille Dux, qui Thusciae investituram à Pontifice acceperat in generali Concilio, dicitur *defensus à Pisanis, & a Lucanis. Anno sequenti devictus apud Fu-*

cecchium

cecchium in campo; ubi exprimi debuerat: *defensus à Pisanis; & à Lucanis anno sequenti devictus, &c.* Itaque hoc loco sincerior est Lectio ex MSS. Strozziano apud Ughellium, eademque integrior, quae sic habet. *Anno Domini MCXXXV. tertio Kalendas Junii Pisis est celebratum generale Concilium per Papam Innocentium, & alios Praelatos saeculi: in quo Concilio Ingilbertus de Marchia Thusciae investitus est, qui postea defensus est à Pisanis, & à Lucanis ubique offensus, & apud Ficecchium ab ipsis Lucanis anno subsequenti devictus in campo, & Pisam fugiens, lacrymasque plures effundens, à Pisanis vindicatus est.*

Quod si Pandectarum inventio, ac praedae inter Pisanos, & Lotharium divisio ad alteram expeditionem anni 1137. referatur, cùm Lotharius praesens adesset, ac Pisanae Militiae strenua gesta, pro dignitate Imperii, ac veri Pontificis obsequio suscepta, coram aspiceret; opponi merito potest, in hac secunda expeditione, ut Falco Beneventanus memoriae prodidit, cujus verba supra recitavimus, Amalphitanos prioris direptionis memores, illud à se incommodum ut averterent, multa oblata pecunia providè cavisse. *Cives autem Amalphitani,* inquit laudatus Scriptor coaevus, idemque finitimus, *consilio salutis invento, multa pecunia data, ad Imperatoris, & Pisanorum permansit* (urbs ipsa Amalphitana) *fidelitatem.* Quae praeda igitur ex Amalphitanis spoliis fuit inter Pisanos, & Lotharium dividenda? Aut ubi famosa Pandectarum volumina in Amalphitanis pluteis inventa? Sed nec in exitu ejus pugnae Imperatoris gratiam sibi admodum propitiam experiri poterant Pisani; Nam in eorum Chronicis ab Ughellio, & Muratorio impressis habetur: *Dolosè tamen agebat Imperator cum Pisanis, unde turbati ipsi foedus inierunt cum praefato Comite Siciliae,* nempe Rogerio; indignati autem fuerant Pisani, quod Lotharius Imperator, sine ipsorum interventu, & consilio Salernum in fidem recepisset, cujus obsidioni, post subactam Amalphitanam regionem, ejusdem Imperatoris rogatu, se paraverant; machinas itaque ligneas eò destinatas incendere festinarunt, ut Falco Bene-

venta-

ventanus enarrat. Nec igitur postremae in Amalphim expeditionis occasio satis opportuna Pisanis erat, ad praetensae donationis diploma impetrandum.

Antequam verò hujus materiae discussionem dimittam, observare juvat, quam sibi invicem è directo repugnent falsae traditiones ab otiosis hominibus hac de re excogitatae, seque mutuò destruant. Lotharius, inquiunt, Pisanis ex universa praeda Amalphitana unum hoc laborum suorum praemium exposcentibus, Pandectarum volumina, in Urbis illius direptione reperta, gratioso diplomate donavit. Idem Imperator decrevit, has Justiniani Leges deinceps in foris observandas, caeteris abrogatis, indeque Irnerium jussit in Bononiensi Lyceo illarum expositionem suscipere, cunctisque Legum studiosis commendare. Verùm qui poterat Irnerius interpretari Leges in Codice Pisanis addicto, & ab ipsis, in partae victoriae, ac Caesareae erga se liberalitatis monumentum sollicitè conservando? Debuerat Lotharius, aut Codices illos Bononiensibus donare, si in eorum Academia illos explicandos fore statuerat: aut Legum Studium Pisis erigere, atque huc Irnerium mittere, qui Gymnasium, enucleandis juribus, quae deinceps observanda erant, idoneum aperiret, ex ipso fonte tam praeclari digestorum exemplaris, aptius exponendis. Ad haec, si Pandectae eatenus ignotae, ac neglectae manserant, ex Adversariorum hypothesi, nec earum auctoritas in ullo judiciorum genere obtinebat: qui fieri potuit, ut Pisani hos Codices, adeò deperirent, eorumque pretium, absque diligentiori examine statim subodorarentur, quasi spissum illud opus infra paucas horas expendere milites ipsi, ac militiarum ductores potuerint, ejusque dignitatem agnoscere, antequam Judicum suorum, & sapientum, qui regimini Civitatis praeerant, sententiam exquirerent? Lotharius ipse, antequam ex hisce libris recens detectis Romanum jus restituendum esse decerneret, an non longo prius examine cum suis Consiliariis expendere debuerat; tum an constaret, opus illud legitimum esse partum Justiniani Imperatoris;

F

toris, tum, an non in tot millibus legum quaedam forte laterent praesentibus temporibus, suisve juribus minimè accommodatae, aliisve suis, aut praedecessorum Imperatorum constitutionibus parum consonae; tum denique an expediret, ubique gentium illas observandas proponere, & inveteratam hactenus judiciorum formam mutare? Prolixam id expostulasset disquisitionem, ante Lotharii obitum minimè terminandam; Quippe Lotharius hoc ipso anno 1137. dum in Germaniam rediret, die 28. Novembris in Tridentinis montibus mortuus est ex Othone Frigingensi *in Chronico lib. 7. cap. 20.* & Falcone Beneventano, Dodechino *in Append. ad Marian. Scot.* ac Roberto de Monte, aliisque, ut ostendit Pagius ad *annum* 1138. *num 6.* contra Baronium; Unde nec potuit, Romani juris restitutionem eodem anno imperare, etiamsi Pandectas reverà apud Amalphim tunc repertas vidisset; Neque id oportebat, siquidem Irnerius ante 30. vel plures annos Mathildae Comitissae rogatu, in Bononiensi Archigymnasio Leges illas interpretandas susceperat, multoque antea Lanfrancus, Guarnerius, Pepo, aliique illas exposuerant, ipsarumque Legum elegantia sensim alliciens mentes hominum, ultrò jam in Tribunalibus praevalere coeperat, ac omnia fermè judicia paulatim moderari videbatur.

27. Pendet hoc ab ea quaestione, num omnia, quae uspiam sunt, aut fuerunt Pandectarum exemplaria ex nostris Pisanis, seu Florentinis descripta fuerint, an secus? Hinc Berchmannus eruditè pertractat *lib. 3. cap. 2.* & se assentientibus ad haerere indicat. Ego cum Astensi *lib. 2. c. 3.* dissentientibus accedo; Nam Florentinae Pandectae binis voluminibus totum digestorum opus continua serie, absque ulla divisione comprehendunt; pleraque autem exemplaria MSS. vetustissima divisionem servant Digesti Veteris, Infortiati, ac Digesti novi; Quae partitio tam antiqua est, ut veteres etiam expositores originem ejusmodi denominationis, ac divisionis ignoraverint. Unde Accursius, qui sub Azone, Bulgari (addunt quidam, & Irnerii) discipulo Juri operam dedit, satis habuit ea de re opiniones aliorum recensere *in Rubrica ff. solut. matrim.* Ubi & Odofredus

dus ejus aequalis, arbitratus est, Infortiatum in manus Irnerii non pervenisse, quippe quod post ejus mortem dumtaxat, Ravenna Bononiam fuerit asportatum: addens *ad l. quaerebatur ff. ad leg. Falcid.* Legum studio apud Ravennam cadente, Bononiam translatum fuisse cum corpore legum, non uno eodemque tempore, sed primò Codicem, Digestum novum, & vetus, atque Institutiones: *postea*, inquit, *fuit inventum Infortiatum sine tribus partibus: postea fuerunt portati tres libri, & ultimò liber Authenticorum inventus est.* Quod si ex Pisanis Pandectis vulgatae illae, quibus Bononienses Professores usi sunt, descriptae fuissent: eoque magis, si ipsosmet Hetruscos Codices aliquando illi possedissent, non ita per partes paulatim delatum Jus Civile Bononiam, sed totum saltem Pandectarum Corpus eò simul illatum foret, omnesque quinquaginta libros Digestorum illustrare ex aequo Antecessores illi potuissent.

Caeterum in vulgatis Pandectis aliquot Leges quibusdam Jurisconsultis tribuuntur, quae in Florentinis ad alios Auctores relatae sunt. In vulgatis *ad l. Qui venenum 36. ff. de verbor. signif.* tria Homeri carmina habentur, quae in Florentinis desunt. Variant etiam subinde lectiones, & aliquando melior, & sanior apparet vulgatarum sensus, quàm Florentinarum. Ad haec, loca quaedam occurrunt, in quibus Florentinae Pandectae graecè tantùm leges aliquas expressas habent; vulgatae verò tum graecè, tum latinè illas exibent; quasdam autem tantùm latinè, ut *l. semper §. demonstrant ff. de Jure Immun.* & licèt Accursius *in l. sciendum 13. ff. Finium regund.* interpretationem quarumdam Bulgaro adscribat [qui à concive suo Burgundio illam sibi facilè transmitti curaverit] non omnium tamen expositionem illi tribuit; sed plerumque antiquissimam versionem quarundam extitisse fatetur. Hujus generis praesertim sunt Leges ex libro excusationum Herennii Modestini, quae graecè tantum in Florentino Codice habentur, sed latinè dumtaxat in vulgatis; styli verò ipsius elegantia satis persuadet utrumque textum ipsius Modestini

 esse,

esse, qui illas utraque lingua ediderit, ut antiquis expositoribus visum est, qui dumtaxat contendunt, an illas prius latinè complexus sit, tum graecè reddiderit, an potius è converso: ex quibus Accursius *in l. 1. verbo Herennius. ff. de excus. Tutor.* Azonem citat, & Hugonem Irnerii Auditorem, Bulgari condiscipulum, qui illas prius latinè editas censebant; Itaque his perpensis, impossibile videtur, ut ex Florentinis vulgatae Pandectae descriptae fuerint, ideoque hae in Italia, ac Bononiae praesertim [sive integrae, sive majori saltem ex parte] jam habebantur ante Lotharii II. tempora, & ante Amalphitanam direptionem à Pisanis factam.

Enim verò, ut quod mihi in hac controversia verosimillimum videtur, liberè exponam: etsi Justinianus Codicem, aut digesta in Italiam mittere, quamdiù à Gothis occupata mansit, nequaquam potuerit, nec Legum suarum usum judicibus commendare; post annum tamen 537. quo, Gothis à Belisario, & Narsete debellatis, Roma sub Justiniani dominium rediit, nihil obstat, quò minùs per quamlibet Italiae provinciam Digestorum suorum, & Codicis exemplaria latè dispergeret, suarumque Legum notitiam ubique propagaret; nec dubitandum est, id re ipsa Justinianum statim curasse, qui propriarum Constitutionum auctoritatis ubique dilatandae studiosissimus fuit. Etsi enim Marquardus Freherus *epist. ad Rudolphum II. juri Graeco Rom. praefixa* nescire se fateatur, an libri Legum *à Justiniano in Urbem Romam, ullamve Italiae partem, nedum caeteras provincias latinus, excepto Illyrico*, missi, ac publicati fuerint, quod & Arthurus Duck *de usu & auctor. Jur. Civ. lib. 1. cap. 5. num. 2.* asserit dicens. *Libros verò Justinianeos Romae, aut in Italia per quingentos annos ab ejus ex esu visos fuisse, nobis constare non potest; tantum conjici potest, eos in Illyricum venisse, quod eorum publicatio Praefecto Praetorii Illyrici à Justiniano mandata sit.* Multoque praefidentius Franciscus Broeus idem in *bibl. jur. Chronolog. institutionibus praefixa* asseverat, quod *nec Romam, nec in Italiam quidem nec vivo Justiniano, nec multo post Pande-*

ctae

ctae pervenerunt. Nihilominus id praecipiti judicio à Clariss. Viris conclusum videtur, quod non observarint Pragmaticam quandam Constitutionem ipsius Justiniani, expressè testantis, legum libros a se *dudum in Italiam missos*. Illam anno 563. Imperii sui 37. à Justiniano editam putat Astensis, sed Gotofredus, qui illam post edicta hujus Imperatoris adjecit suo Corpori juris civilis, datam asserit anno Christi 554. Imperii Justiniani 28. quod utique verius haberi debet, nam *cap.* 1. ejus sanctionis declarat Imperator, se ad petitionem Vigilii Romani Pontificis eam condere, qui anno sequenti 555. vivere desiit. In hac ergo constitutione *cap.* 11. sic loquitur Justinianus. *Jura insuper, vel Leges Codicibus insertas, quas jam sub edictali programmate IN ITALIAM DUDUM MISIMUS, obtinere sancimus, sed eas, quas postea promulgavimus, Constitutiones, jubemus sub edictali praepositione vulgari, ex quo tempore, quo sub edictali programmate evulgatae fuerint, etiam PER PARTES ITALIAE obtinente, ut una Deo volente. facta Republica, Legum etiam nostrarum ubique prolatetur auctoritas.* Et verò nisi Codicis, & Pandectarum exemplaria in Italiam, prope Justiniani tempora pervenissent, quomodo Paulus Diaconus *lib.* 1. *hist. Langob. cap.* 25. juxta editionem Muratorii, adeò disertam omnium ejus juris partium mentionem fecisset? Sic enim de Justiniano refert. *Leges quoque Romanorum, quarum prolixitas nimia erat, & inutilis dissonantia, mirabili brevitate correxit; nam omnes Constitutiones Principum, quae utique multis in voluminibus habebantur, intra duodecim libros coarctavit, idemque volumen CODICEM Justinianeum appellari praecepit. Rursumque singulorum Magistratuum, sive Judicum Leges, quae usque ad duo millia penè libros erant extensae, intra quinquaginta librorum numerum redegit, eumque Codicem DIGESTORUM, sive PANDECTARUM vocabulo nuncupavit. Quatuor etiam INSTITUTIONUM libros, in quibus breviter universarum Legum textus comprehenditur, noviter composuit. Novas quoque Leges, quas ipse statuerat, in unum volumen redactas, eundem Codicem NOVELLARUM nuncupari sancivit.* Haec Paulus

Varne-

Uvarnefridus Monachus, genere Langobardus, binis post Justinianum saeculis in Italia scribebat: quo non alius magis distinctam Justinianei juris descriptionem tradidit, deque ejusmodi libris, non ut in Graeciam, vel Illyrico dumtaxat existentibus, sed tamquam ab ipsomet evolutis, loquitur; nec eorum auctoritatem uspiam collapsam indicat, sed velut adhuc vigentem supponit.

Ad haec, perlatos in Occidentem juris Justinianei libros, adeoque & in Italiam, ab usque vetustissimis temporibus, penetrare debuisse, illud etiam manifestat, quod, ut Clariss. Cujaccius *de Feud. l.* 2. *tit.* 11. animadvertit, *Gothorum, sive Visigothorum Reges, qui Hispaniam & Galliam, Toleto sede regia, tenuerunt, ediderunt XII. Constitutionum libros, aemulatione Codicis Justinianei*; ita ut etiam gradus consanguinitatis *in Cod. Visigoth. lib.* 4. *tit.* 11. eodem planè ordine, ac distinctione, & totidem penè verbis enumerentur, quibus Justinianus in Institutionibus utitur; & *lib.* 2. *tit* 2. *cap.* 1. iisdem rationibus, quibus Justinianus usus est, admittantur faeminae ad successionem Genitorum communium ab intestato.

Quae verò exemplaria in Italiam misit Justinianus, aequum est supponere, ut latinis interpretationibus plerumque instrui curaverit, ubi graecae leges, aut Constitutiones occurrebant, ad Judicum, & eorum Professorum intelligentiam, qui in regiis urbibus, Roma, Ravenna, Felsina (idest Bononia, ut sensit Accursius *ad probem digest.* §. *Haec autem tria, verbo Regiis urbibus*] juri exponendo incumberent, fieri autem potest, ut per partes in Italiam transmitterentur Pandectarum volumina primò scilicet priores XXIII. libri, cum binis titulis vigesimi quarti [pro ut fors tulit, ut tantam librorum molem dividendo, hic potius, quam alibi commoda partitio, seu quaternionum distributio subsisteret, cum fine alicujus tituli conveniens] quam operis partem *Digestum vetus* appellarint. Deinde quod reliquum est libri vicesimiquarti, cum aliis succedentibus, usque ad totum trigesimum octavum, ab Amanuensibus absolutum, subinde allatum est, cui ex Hesiodi

hemi-

hemiſtychio forte praefixo, ad *onera* matrimonii, de quibus in hiſce libris agitur alludente, quae graecè φόρτια dicuntur, juxta ingenioſam Cl. Gothofredi conjecturam, in re obſcuriſſima non contemnendam, *Inforiati* nomen adhaeſit. Poſtremò reſidui ex quinquaginta libris, à titulo: *De operis novi nunciatione* incipientes adducti fuerint, quos *Digeſti novi* nomenclatura majores noſtri donarunt.

At verò Hetruſcae Pandectae in uſum alicujus Graeciae Praetoris deſcriptae fuerant, non in uſum Latinorum Praefectorum; & ideò tam multas graecas Leges, & Conſtitutiones, abſque latina interpretatione continent: atque adeò vetuſto charactere majuſculo formatae ſunt, [quippe ante Baſilicorum editionem conſcriptae, cum adhuc earum uſus in Oriente vigeret] ut pro Archetypis dudum haberi meruerint: unde ad horum codicum fidem vera lectio caeterorum exemplarium, Bartoli, & Baldi temporibus, exigebatur, atque oraculi loco erat *Piſana Littera*, cui pudor eſſet non acquieſcere; cùm tamen hanc quoque ſuis naevis ſcatere, hodie in confeſſo ſit apud omnes, qui volumina iſta diligenter examinarunt.

28. Bulgarum *Piſanum* dixi, ut Forſterus, & M. Mantua, & Catellianus Cotta, & ipſe Bartolus talem nobis ſupponit *in l. Hac conſultiſſima C. Qui teſtam. facere poſſint*, ubi ait. *Finaliter Gloſſa ponit quandam opinionem Bulgari Gloſſatoris antiqui, qui fuit Piſanus*. Reclamant verò Bononienſes, qui Bulgarum civem ſuum fuiſſe acriter tuentur. Eorum non levia ſanè argumenta à Clariſs. & Eruditiſs. Viro Alexandro Macchiavellio J. V. D Collegiato Bononienſi, & in patrio Archigymnaſio Legum interprete, mihi humaniſſimis litteris ſuis XVIII. Kal. Maii anni hujus MDCCXXVII. communicata, hoc loco expendere ſatagam, ad veritatis illuſtrationem.

Primum illud, ac palmarium eſt, quod Guido Panciro-lus attigit *de clar. Leg. interpr. l. 2. cap. 15.* nempe Bartoli textum vitiatum eſſe, ac *Bandinum*, non *Bulgarum* ibi eſſe legendum: inquit enim. *Patria Piſanus eſſe à nonnullis Bulgarus exiſtimatur, cui errori cauſam corruptus Bartoli* codex

codex dedit, qui pro Bandino Pisano, Bulgarum citat. Ego ut plurimos ejus aetatis interpretes, Bononiensem fuiße existimo, qui ingenii felicitate, excultaque doctrina, supra alios sui temporis Jurisconsultos excelluit, & cum venusta etiam pronunciatione doceret, vulgò OS AUREUM est appellatus. Sublata verò Bartoli auctoritate, quem omnes alii sequuti videntur, quotquot Bulgarum Pisanis adscripserunt, corruere omne fundamentum necesse est, quo nixi Pisani, pro suo Cive illum agnoscunt. Sed cùm revera Glossae locus à Bartolo citatus, in quibusdam lectionibus *Bandinum* habeat, in aliis *Blondinium*, cur in codice, quo Bartolus usus est, non potuit ibidem *Bulgari* nomen scriptum reperiri? Cur etiam, pro more scribendi veterum Glossarum, initiali dumtaxat littera B, ejus sententiae auctor eo loci indicatus à Glossa supponi non possit, quem Bartolus quidem *Bulgarum*, alii verò *Bandinum*, alii *Blondinium* (quemadmodum & alii *Berguntionem*, sive *Burgundium*, ex Pancirolo *lib.* 2. *cap.* 16.) fuerint interpretati? sive autem vera, sive falsa censeatur Bartoli lectio, utrovis casu inconcussa pro Pisanis manet ejus auctoritas, qui disertè Bulgarum Pisanum fuisse asseruit. Adde, quod *Glossatoris antiqui* nomine potius Bulgarum, quàm Bandinum Bartolus intelligere debuit; nam ille, ut supra diximus, an. 1167. valde senex obiit, hic autem anno 1218. decessit, in Abbatia S. Mariae de Rheno, quatuor millibus passuum à Bononia distante, sepultus, cujus epitaphium, ex ejus loci Necrologio, recitat Mabillonius in Musaeo Italico *p.* 199.

Bandinus Thuscus, Legum splendore coruscus,
In Pisa natus, jacet hoc tumulo tumulatus.

Obiter autem noto, complures ea aetate Bandinos Pisis vixisse, ut constat ex documentis afferendis *in Append. vet. monum. n. XXI.* ubi occurrit *Bandinus filius quond. Alberti* anno 1142. Pisano, & *n. XXVIII.* ubi mentio est *Bandini Filii Gerardi Orcioli*, & alterius *Bandini de bono Barone* sub annum 1164. An horum quispiam esset ille Bandinus Judex, & Previsor Pisanus, atque Notarius, de quo in sententia judiciali anni 1171. à Cl. Vallecchio relata, incer-

tum.

tum. In documento *n. XXXIX.* afferendo ad annum communem 1185. mentio est *Bandini Filii Domni Burgundii*; nec non alterius *Bandini Martii* Notarii; item anno 1186. vivebat *Bandinus de Lino*, de quo in documento *n. XL.* & anno 1199. *Bandinus acquistus*, ut in documento *num. XLIII.* Rursus anno 1202. memoratur *Gerardus quond. Bandini*, & mox *Bandinus quondam Baronis*, in documento *n. XLIV.* Ad haec in alio documento *n. XLVI.* habetur sub an. 1214. *Bandinus de Spina*, & in documento XLVII. memoratur *Bandinus de Quota* Judex novae Curiae Pisanorum ad annum 1232.; ut praeteream *Bandinum quondam Ugonis Camerini* anno 1209. & *Magistrum Bandinum Cappellanum S. Felicis* anno 1211. & *M. Bandinum Canonicum* anno 1217. & *Bandinum Ascianensem*, atque alium *Bandinum* an. 1240. memoratos; & his multò antiquiores *Bandinum* Mundualdum Guilliae Viduae Ildebrandi anno 1157. & *Bandinum quond. Ildebrandi Rubei* an. 1163. nec non *Bandinum quond. Rossi de pectore* anno 1175. viventem: de quibus omnibus in aliis ejusdem Archivi Monasterii nostri veteribus chartis mentionem factam invenio, quas edere hic supersedi, ne mole nimia, & nimis superflua praelum onerarem; ex quo patet, quam difficilem operam in se susciperet, qui divinare contenderet, an Bandinus ille Glossator cum aliquo ex superiùs recensitis conveniat, aut aliquem ipsorum ut Genitorem, aut Filium respiciat.

Sed quisquis ille fuerit Bandinus, certè Bulgaro junior erat; neque adeò verisimile est à Bartolo erratum, quasi pro Bandino, quem putant ipsum voluisse exprimere, calamo exciderit, ut scriberet *Bulgarum Glossatorem antiquum, qui fuit Pisanus*. Imò gratis dicitur, potius in Codice Bartoli, quàm in vulgatis Glossae editionibus, errorem latere; in his enim ex aequo contendere quis posset, *Bulgarum*, pro *Bandino* aut *Blandinio*, esse legendum.

Jam verò ad alterum fundamentum Bononiensium pro Bulgaro sibi vindicando allatum gradus est faciendus. Illud est aliquot Scriptorum, qui vel Bononienses sunt, vel iis sese ultrò subscribunt, auctoritas, cum vetusta Bartoli aucto-

auctoritate minime comparanda; nisi quod ex iis Scriptoribus Alidosius assertionem suam, ne collaberetur, peculiaribus hisce circumstantiis munire curavit: fuisse nimirum Bulgarum Filium Alberti de Bulgaris nobilis Bononiensis, & habitasse in palatio posito in Curte, nunc etiam *la Corte de' Bulgari* vulgò nuncupata; ubi adhuc oratorium visitur sub vetustissimo titulo *S. Mariae Bulgarorum*, atque in avito Gentis suae sepulcro ad S. Proculum Bulgarum ipsum J. C. humatum fuisse.

Ad progeniem quod attinet, non majus habere momentum mihi videtur Alidosii assertio, quod Bulgarus noster Alberti nobilis Bononiensis Filius fuerit, quam si Pisanus aliquis Scriptor traderet Bulgarum cujusdam *Oddi* sive *Ocdi*, aut *Stephani* aut *Guidonis* [alterius *Senioris Bulgari* Filiorum] progeniem fuisse, ex quo Bulgarorum styrps primò Pisis, deinde Bononiae fuerit propagata. Imo huic potior fides haberi posset, quatenus ex documentis adducendis *in Appendice Vet. Monum. n. VI. & XX.* revera Pisis vixisse constat *Oddum*, aut *Ocdum*, *Filium quondam Bolgari*, & ibidem *n. VII.* rursus habetur floruisse anno 1077. *Stephanum Filium bone memorie Bulgari*, & ex documento referendo ibidem *n. XVII.* anno 1124. occurrit mentio *Guidonis quondam Bolgari*. At Alidosius monumenta nostri Bulgari tempore vetustiora adducit, quae familiae hujus apud suos praeexistentiam probent; Quae etiamsi ostenderet, atque in his Andream Praetensum Bulgari Patrem inveniret, aequali jure Pisani Bulgarorum Comitum familiam in Hetruria late dominantem, atque in suo praesertim territorio multa latifundia possidentem, & in historiis celebrem possent indicare, illique Bulgarum Jurisconsultum adscribere. In vita S. Joannis Gualberti *Comes Bulgarus*, tum à S. Attone Pistoriensi Episcopo, *capite* 33. *Vitae S. Jo: Gualb.* tum à B. Andrea Januensi *num.* 37. *ejusd. Vitae* commemoratur, qui B. Joanni Septimense Monasterium, suo juri suppositum, reformandum tradidit. Hunc Comitem Gulielmum nomine fuisse tradit Didacus Franchus *hist. S. Jo: Gualb. lib.* 8. Filium verò Lotharii Comitis:

tis: qui Gulielmus circa annum 1048. multis attributis praediis Coenobium illud locupletarit, atque ejus exemplo, Comes *Hugo Bulgarus* ejus Filius anno 1099. cum Cilia Comitissa Uxore, iterum instaurarit, aliisque donationibus auxerit. Idem Comes *Bulgarus*, ex B. Andrea Januensi *in Vita S. Jo: Gualb. n.* 107. & ex S. Attone *ibid. cap.* 65. Monasterium Phocense S. Salvatoris [Ficiclense vocant] apud Fucecchium scilicet Castruum Territorii tunc Pisani, Vallumbrosanis donavit, ubi S. Petrus Igneus primus Abbas est constitutus. Rursus ex monumento *in Append. n. XI.* referendo, constat, *Ugonem* sive *Uguccionem Filium Bulgari Comitis*, in emphitheusim dedisse Ecclesiae S. Salvatoris Campi amabilis, & Bonitio Monacho nostro, pro ea recipienti, quasdam terras in territorio Plebis S. Stephani anno 1092. *Actum in loco Bentina*, idest in Territorio Pisano, prope Blentinae Castrum.

Aliud de Curte, seu Curia Bulgarorum, & Ecclesia S. Mariae Bulgarorum Bononiae existente, facilè eluditur, observando, quod si ea denominatio non pendet ab Advenis ex Bulgariae natione fortasse cò loci appulsis, ibidemque olim moram trahentibus, utique à Bulgari nostri J. C. posteris, qui inibi domum fixerint, derivari commodè potuit: Sed non id probat, ipsum Bulgarum ibidem natum, & educatum fuisse. Nam & Pisani in suo Territorio Castrum *Bulgarum* ostendunt, ab ejus fortasse familia fabricatum. Ita in Relatione miraculorum SS. Justi, & Clementis circa annum 1140. conscripta apud Godefridum Henschenium *die 5. Junii num.* 17. habetur: *Nuper quoque Corradus Marchio CASTELLUM BULGARI ad deditionem cogens, nonnullos inde suscepit obsides*. In quem locum Henschenius, & Papebrochius sic notant: *Bulgari oppidum, sive Castellum est in ditione Pisana Gerundesia* (*corrige Geraidesca*, nam in ea maritima regione, inter Castagnetum, & Bibbonam adhuc visitur] *dicta, haud procul à mari: videtur autem haec obsidio spectare ad annum circiter* 1120. *quando Conradus Henrici V. nepos, ab eadem; Mathilde mortua relictus Marchio Thusciae, etiam Pontremulum in agro Florentino*

tino obsedit. Quis scit, an non inde Bulgarorum familia descenderit, per Bulgarum, de quo loquimur, inter obsides Conradi forte repertum, eaque occasione Bononiae sub Irnerio ad Legum studia conversum, ibidem transplantata? Fatemur enim, illum tum primam, tum secundam uxorem Bononiae duxisse. De prima enim constat, quia statim ab illius morte de dote restituenda, juxta sententiam, quam ipsemet Bulgarus contra aemulum suum Martinum Gotiam defenderat, eodem instigante, à Socero interpellatus, eam promptè restituit, suamque opinionem facto ipso confirmavit, malens patrimonii dispendium, quam inconstantiae famam subire, qualem Albericus ejus discipulus incurrit, qui simili in casu constitutus, se mutasse sententiam praetendit, ut dotem retineret. De secunda verò Bulgari uxore manifestum idem est ex festiva narratione, quam innuit Glossa *ad l. Rem non novam, neque insolitam aggredimur C. de Judiciis*. Ubi habetur, quodcum apud omnes constaret, mulierem esse, quam Bulgarus virginem crediderat, postero à nuptiis die Neosponsus Cathedram ascendens, & Legem illam sibi explicandam proponens, discipulorum risum adeò commovit, ut omnes plausu librorum strepitum excitantes, lectionem turbarint, ac in proverbium exinde cesserit, quod qui Viduam, sive aliàs corruptam ducerent, *Rem non novam aggrederentur*.

Suspicari etiam quis posset, ex eadem Bulgarorum familia, ob Fratrum natu minorum connubia, propagatas Pisis fuisse *Bulgarellorum*, & *Bulgarinorum* Familias, quarum postrema hodie adhuc Senis inter nobiliores styrpes elucet. Nam in Judicato, quod *in Append. n. V.* adducimus, Gothifredo Duci, & Marchioni Thusciae Pisis residenti anno 1063. assidebat inter alios *Bulgarellus Filius Benedicti*, qui pariter in alio documento *ibid. n. X.* adhuc anno 1085. superstes nominatur. Rursus in Charta venditionis anni 1178. adducta *ibid. n. XXXV. Bulgarellus quond. Ugolini* testis occurrit; antea verò in documento an. 1153. relato *ibi n. XXVI.* indicantur *Nepotes quond. Bolgarelli*. Praetereà in Judicato anni 1180. quod refertur *ibi n. XXXVI.* fit men-

fit mentio *Bulgarini Anfoſſi & Nepotis*: ubi & alius *Bulgarinus Vicecomes* laudatur, qui cum aliis Conſulibus Civitatis legem tulerat de triennali praeſcriptione. Item in tranſactione de anno 1173. quae *in Append. n. XXXII.* legi poteſt, mentio recurrit *Bulgarini Anfoſſi*; quemadmodum, & in aliis paginis *ibid. n XXXIII.* & *XXXIV.* adductis, quae annum 1174. reſpiciunt, iterum *Bulgarinus Vicecomes* memoratur, & rurſus in charta anni 1183. poſita *ibi n. XXXVII.* occurrit Judex *Bulgarinus quondam Gerardi*; ac demum in Pagina anni 1202. *ibid. n. XLIV.* nominatur inter Judices appellationum *Ugo Juriſperitus quondam Bulgarini*. Et in Chronicis Piſanis apud Ughellum, & Muratorium ad annum 1167. legimus *Conſulem Bulgarinum Bulgarelli*, ad annum vero 1168. *Bulgarinum Anfoſſi*, & ad 1169. *Bulgarinum quondam Uguccionis Bocci* commemoratos.

Tertium ſuae cauſae praeſidium Bononienſes in ſtemmate Bulgari collocant, quod ex vetuſto monumento deducunt fuiſſe Leonem erectum, albis, nigriſque taxillis teſſellatum, lingua exporrecta, & cauda ponè aſſurgente, tum modicè deorſum inflexa in area deaurata, cui alludens Bulgari quoddam Emblemma proferunt, opere anaglyptico ex una tantum parte in rudiori aere caelatum, ubi humi jacens Leo alternis quaſi vulneribus, quae pellem ejus teſſellatam efficiunt, confoſſus exhibetur, multis apibus exinde prodeuntibus, circumſcripto hoc lemmate barbaris characteribus expreſſo: CIVEM HABET BULGARUM FELSINA CRYSOSTOMUM. Eximium hoc Bulgari monumentum dudum in Muſeo Clariſs. Viri Fulvii Capibovii Patritii Bononienſis, antiquitatum ſtudioſiſſimi, ſervatum [ut ſuis me litteris docuit ſupralaudatus Macchiavellius, Bononia datis pridie nonas Maii MDCCXXVII.] in manus doctiſſimi Comitis Valerii Zani devenit, tum ad R. P. Franciſcum Mariam Minium de Urbania ex Clericis Regularibus Minoribus, numiſmatum colligendorum avidiſſimum, translatum eſt, a quo, cum plurimis aliis vetuſtae aetatis monumentis Regiae Pariſienſi Academiae Inſcriptionum donatum denique aſſeritur. Decretorium hoc in Pi-

in Pisanos argumentum esse sibi persuadent Bononienses. At Pisani hinc planè nil aliud exculpi posse arbitrantur, quam Bulgarum Civitate Felsinea donatum, ob singularia ejus merita, & translatum apud Bononienses domicilium, quemadmodum frequenter, & ipsi Pisani exteros Lycei sui Professores, post diuturnam moram, & assiduam suae urbis habitationem, Civitatis Pisanae privilegio exornant, & ad Patriae communis honores assequendos habiles reddunt. Imò ea ipsa occasione concessi Bulgaro à Bononiensibus ejusmodi privilegii symbolum illud, curantibus forte discipulis, honoris gratia sculptum fuisse dixerim: non tam Bulgari meritis, quam Bononiae ipsius felicitati plaudente Emblemmatis Auctore, quod scilicet inter suos cives hunc arcessere potuerit; unde totum elogii fundamentum in eprigraphe expressum id unum importat: *CIVEM HABET Bulgarum Felsina Chrysostomum*: Nimirum nunc *habet* cum prius non haberet: nunc recens tam celebrem Virum aquisivit, quem inter suos Cives numerare deinceps poterit, antea sibi extraneum. Si enim in honorem dumtaxat Bulgari, ut praecellentis Jurisconsulti, non ut Civitate Felsinea tunc donati, caelaturam hanc effinxissent Bononienses, simplici elogio illum cohonestassent, his, vel similibus verbis concepto: *Bulgarus Civis Bononiensis Chrysostomus*, non verò in recto, ut ajunt casu *Felsinam* expressissent, illi veluti gratulantes, quod tantum Virum *Civem haberet*. Sic in numismate, quod in Pepi, seu Peponis honorem cusum refert idem Cl. Macchiavellus *pag.* 83. *Apologiae* tantum scribitur *Pepo J. C. Bononiensis*; & in altero numismate *pag.* 84. ab eodem adducto, in honorem Irci impresso, dumtaxat legitur *Ircus Bononien. J. C.* nusquam verò alias de indubitato, & originario Cive usurpatum vidi, ut expressè illum ab ea Civitate *haberi Civem* notaretur. Caeterùm ejusmodi Anaglypha, aut numismata subiicienda prius eorum oculis forent, qui rei antiquariae maximè periti habentur, ac diligenti examine perpendenda, ut de illorum legitima aetate constaret, fieri enim potest, ut post enatam controversiam olim confecta sint,

ad ani.

ad animos spectatorum in eam, quam quis praeconceperit, opinionem inclinandos, vel in ipsa obfirmandos. Quod quidem ne ipse quidem Cl. Macchiavellius aut ignorat, aut diffitetur; nam in laudato opusculo suo apologetico candidè agnoscit *pag.* 83. *n.* 149. Numisma, praeferens gratum Felsinae animum erga Theodosium II. cujus honori litat, cum epigraphe: *Aeternitati Principis optimi*, & subscripto lemmate: *Firmato Archigymnasio* anno salutis ↃIC. XXX. Synchronum illi aetati non esse asseverat, licet vetustissimum pronunciet.

Quartum denique Bononiensium argumentum, pro Bulgaro sibi vindicando, ex statutis deducitur Collegii Judicum, & Advocatorum Bononiae, compilatis anno 1140. Bulgarus enim, nedum unus ex eorum conditoribus fuisse asseritur, sed & ad calcem totius voluminis subscriptus habetur in cathalogo juris Doctorum, sive Judicum, & Advocatorum dicti Collegii; quem locum, nisi Bononiensis origine propria fuisset, nequaquam obtineret: cùm in ejusmodi Statutis *sub Rubr.* 7. *Qui probibeantur, & esse non possint de dicto Collegio, fol.* 54. expresse caveatur: *quod nullus possit esse descriptus huic Collegio, nisi sit Civis Bononiae, origine propria, paterna, & avita, vel saltem duabus ex eis*. Id quod rursus repetitur sequenti *Rubr.* 8. *de modo, & forma aggregandi aliquem dicto Collegio, fol.* 56. atque aliis generalibus ejusdem Civitatis Statutis *Tom.* 2. *lib.* 5. *Rubr.* 71. *fol* 250. *& Rubr.* 72. *fol.* 251. idem disponitur. Sed, praeter alias exceptiones, quas Pisani opponere possunt, a ratione absonum non videtur, ut sub initium nascentis illius Collegii, quotquot haberi tunc poterant juris periti, undecunque adlecti admitterentur, & in his Bulgarus, ob insignem Legum peritiam accerseretur, qui ut ad illius Collegii statuta compilanda maximè omnium idoneus visus est, ita non erat ex eorum Doctorum subsellio repellendus: ac pro cive haberi poterat, tum ob diuturnam habitationem Bononiae, tum ob stipendia, quae ibi merebatur, publici Professoris munere illi urbi addictus: nam Doctores ejus Urbis Cives dicuntur, ubi profiten-

sitentur, ex Alexandro, & Bartolo *ad l. Municeps §. Miles ff. ad Municipales. & de Incolis*; tum denique ob speciale Civitatis privilegium, intuitu singularium ejus meritorum, ipsi, totique ejus familiae indultum. Decretum verò de non admittendis nisi verè originariis Civibus, posteriora utique tempora respicit, non anteriora, Lex enim in fronte, non in occipite oculos habet, nec retro respicit, ex famosa *l. Leges & Constit. C. de Legib.* Imò subdubito, an Ugolinus Agolantes, qui eidem Doctorum Collegio adscriptus legitur, revera Bononiensis esset, an potius Florentinus, nam illa Agolantum familia in Florentinis historiis, & monumentis percelebris est, ac fortasse ob Domicilium dumtaxat Bononiae contractum, vel ex privilegio, ut Bulgarus, inter alios Felsinae cives Ugolinus ille consessum obtinuit.

Nihil igitur est, quod prohibeat, quo minus Pisani Bulgarum pro suo Cive adhuc agnoscant, licet fictione juris etiam Bononiensis haberi queat, quippe adepto civitatis illius privilegio in favorabilibus uti poterant, secus verò in odiosis. Unde cum Fridericus I. Imperator, apud Radevicum Canonicum Frisingensem *De gestis Frider. Imp. lib. 2. cap. 5.* cum ipso Bulgaro, & Martino, ac Jacobo, & Hugone apud Roncallias negocia discuteret *divino usus consilio, singulis diaecesanis singulos Judices praeposuit: non tamen de sua Civitate, sed vel de Curia, vel de aliis Civitatibus; hoc eos commutans ratione, ne si civis civibus praeficeretur, aut gratia, aut odio leviter a vero posset averti.* non tamen veritus est idem Imperator Bulgarum Bononiensibus praeficere, suumque Vicarium, & Judicem ut ajunt, appellationum constituerè in causis, summam XXV. librarum excedentibus, ut ex Saliceto tradit Pancirolus. Et tamen Martino potius, quam Bulgaro favebat ipse Fridericus, eo quod ille Caesari rerum omnium dominium, turpi assentatione, tribuisset, quod hic liberè negaverat. Videtur ergo in Bononiensi Praefectura, Martino postposito electus Bulgarus, quia ille Bononiensis originarius erat (quamquam Cremonae natum illum perhibeat Pancirolus

rolus, *ex nobili* inquit *Gosia familia Bononiensi, per factiones Gibellinorum Patriâ expulsa*: quae tamen factiones nondum tunc temporis emerserant, sed sub Friderico II. primùm prodierunt] quod Bulgaro non obstabat, qui revera exterus fuerat, & aliunde quam ex Bononia trahebat originem: sive postea Pisanus esset, ut hactenus opinatus sum, sive Cremonensis, ut contendit Amicus noster Franciscus Arisius J. C. & Ordinum Patriae nostrae Conservator dignissimus in sua Cremona Litterata *tom.* 1. *pag.* 75. *& seqq.* cujus rationes improbare hic non ausim, dum quae Pisanorum traditioni favent argumenta, adversùs Bononiensium opinionem non levibus utique conjecturis innixam, sed minimè evidentibus, ut praetendunt, documentis fultam, defendo.

29. Id mihi nunc verosimilius videtur, ob diversitatem superiùs assertam *Nota* 27. vulgatarum Pandactarum, quales cum sua tripartitione exponebantur Bononiae, à Pisanis, seu nunc Florentinis, quae continua serie decurrunt, in bina volumina, ad minuendam dumtaxat totius operis molem, pro Lectorum commodo divisae. Nec inversus ordo quarumdam Legum ultimi tituli Digestorum probat omnia prorsus exemplaria ex Florentinis manasse, in quibus ultimae paginae ordine praepostero compactae huic communi errori occasionem praebuerint. Non enim per omnia prorsus, sed *ferè per omnia*, inquit Cointius, *quotquot extant exemplaria* is error dimanavit; ergo aliqua ab illo immunia, ideoque non ex Hetruscis libris descripta fateri necesse est; nec verò summa, qua custodiri consueverant, religio permittere poterat, ut cuilibet ad excribendum passim paterent. Adde & alia pleraque vetusta exemplaria hac in parte à veteribus Jurisconsultis, juxta Pisanam litteram, quam oraculi loco habebant, & velut archetypam venerabantur, correcta fuisse, consultò redactis in alium ordinem iis legibus, ut cum Pisano Codice convenirent: non tamen ideò praetermissa *l. Si filius familias* ex Paulo J. C. veteribus libris inter 18. & 19. ejus tituli *de diversis Reg. Jur. antiq.* inserta (quae in Florenti-

 nis

nis Pandectis deest, adeoque inde rescribi non potuit] sed vel appendicis loco subjuncta eidem superiori *Legi* 18. *Quae Legata*, vel, juxta Bartoli numerationem, tamquam peculiari lege ordine 19. computata, ut *lex qui cum alio* evaderet 20. & sic aliae uno deinceps gradu promoverentur, ut omnino 212. leges is titulus complecteretur, cui tantum 211. in hetruscis voluminibus deputantur.

30. Is à Pancirolo *de clar. leg. interp. l. 2. cap. 15.* fuisse dicitur *Leonis Jurisconsulti avus:* videtur autem Leonis itidem alterius filius fuisse, ac praeter Hugolinum filium, quem, ut infra dicimus, in Constantinopolitano itinere morbo correptum amisit, duos alios habuisse filios, Gaetanum Jurisperitum, & Bandinum, ut constat ex documento adducto *in Appendice Vet. Mon. num. XXXIX.* ubi inter alios testes anno communi 1185. Pisano autem stylo 1186. subscripti simul leguntur, ibi: *Signa manum Gaetani Jurisperiti, & Bandini germanorum filiorum Domni Burgundii*, &c. *& Burgundii quondam Leonis Burgundii.* Primus ex his Filiis memoratur etiam in alio documento anni communis 1171. qui Pisanis erat 1172. adducto *in Append. n. XXX.* ibi nimirum: *in praesentia Opitbonis, & Gaitani filii Burgundionis*. Ipse verò Burgundius veluti Advocatus interfuisse legitur quibusdam contractibus venditionis, & promissionis factis anno 1146. communi, & 1147. more Pisano, qui afferuntur *in Append. n XXII.* & *XXIII.* nam utrobique ita se subscribit: *Ego Burgundi Advocatus interfui, & subscripsi*. Idem anno 1155. communi, & 1156. Pisano, tamquam Judex, & Assessor Pisani Archiepiscopi Villani, se subscribit sententiae ejusdem Archiepiscopi in controversia versante inter Monasterium S. Michaelis, & Plebem S. Juliae de Caprona de Cappella S. Christophori Colignolae: quam sententiam adducimus *in Append. n. XXVII.* eaque subscriptio sic habet: *Ego Burgundius Sacri Lateranensis Palatii Judex, & tunc Publicus Pisanorum Judex, & in hoc judicio Domni Villani Archiepiscopi Assessor, in hanc sententiam meo consilio datam me SS.* Quae ideo notare volui, quia non defuisse aliquos audio, qui priorem hujus epistolae editionem

nem

nem carperent eo nomine, quod Burgundium *Jurisconsultum* suppofuerim, quem illi putabant nonnisi Theologicis Studiis, ac versionibus SS. PP. inclaruisse. Ne verò suspicentur, diversum fortasse Burgundium hunc Jurisconsultum, seu Judicem fuisse ab eo, qui SS. PP. Joannis Chrysostomi, & Damasceni, ac Nazianzeni, & Nysseni Gregorii operum interpretationibus famam sibi apud Eruditos promeruit, quique in Concilio Lateranensi celebrato ab Alexandro III. anno 1180. Romae interfuit, ut Robertus de Monte in suis accessionibus ad Sigeberti Chronicon testatum reliquit: en titulum, quem Pignorius meminit, ejus interpretationi Gregorii Nysseni praefixum, se legisse: *Liber Beati Gregorii Nysseni. Dominatori Friderico Caesari invictissimo, Romanorum Imperatori semper Augusto à Burgundione Judice natione Pisano pertranslatus anno Incar. Dom* 1160. In versione Homiliarum Chrysostomi in Mathaeum, quae in Bibliotheca S. Crucis Florentiae *pluteo* 13. *n.* 146. servatur, legitur in fine *Domino Papa Eugenio III. praecipiente, Peccator Burgundius Judex de Civitate Pisana hunc librum de graeco in latinum sermonem &c. an.* 1151. Praefationi autem in Versionem ejusdem S. Joannis Chrysostomi in Joannem, cujus initium in hac epistola adduxi, hic praefigitur titulus: *Omnibus in Christo Fidelibus fratribus Burgundio Judex Civis Pisanus in Domino salutem*, ex Oudino *de script. Eccles. tom.* 2. ad anum 1150. & Martene in *Amplifs. Collect. Vet. Script. t.* 1. *p.* 828. Item in supradicta Bibliotheca Florentina *pluteo* 12. *n.* 136. habetur versio Damasceni de fide Orthodoxa sub hoc titulo. *Joannis Presbyteri Damasceni liber, in quo est traditio certa orthodoxae fidei, capitulis divisa, & à Burgundione Judice Cive Pisano de graeco in latinum, jubente Domino Eugenio III. Papa, translatus*. Nec dubium, *Judicis* nomine *Jurisconsultos* tunc temporis appellari passim consuevisse, non tam ab officio, quod gerebant aliquando, quàm à peritia & professione Legum, qua reddebantur idonei ad controversias dijudicandas.

31. Praestat integrum ipsum epitaphium tanti viri pro-

proponere animadvertendo, in oblongo lapide ad parietem appoſito illud inciſum eſſe, ad dexteram ingredientium per majorem januam Eccleſiae S. Pauli ad ripam Arni ſatis conſpicuum: in qualibet autem ejus monumenti linea, bina ſimul carmina contineri, hexametrum, & pentametrum, ex ultimis vero 8. verſibus, qui tantum exametri ſunt, & communibus quibuſdam ſyllabis bini, & bini invicem colligati, notandum eſt in eadem linea ſcriptos eſſe primum cum tertio, item ſecundum cum quarto, nec non quintum cum ſeptimo, ac denique ſextum cum octavo: quibus poſtmodum in eadem linea ſubjungitur nota chronologica anni, & diei emortualis, utique Stylo Piſano poſita, & ad annum communem 1193. referenda. Sic ergo ſe habet.

Quis qualis quantus jacet hoc in marmore clauſus
Ille vir egregius ponitur inferius
Deceſſit ſenio propria Burgundius urbe
Cui ſimilis vivens vix fuit eſt vel erit.
Omne quod eſt natum terris ſub ſole locatum
Hic plene ſcivit ſcibile quidquid erat
Optimus interpres grecorum fonte refectus
Plurima romano contulit eloquio
Commentor primus Chryſoſtomus iſte ſecundus
Clarus ut expoſitor ſcripſit & innotuit
Quaque patet late Doctoris Epiſtola Pauli
Otia cujus erant ſcribere cura labor
Invidia caruit vitam ſine crimine duxit
Illeſus vitiis noxia queque fugens
Gloria Laus, & Honor proles generoſa parentum
Id fuit in terris ſol quod in aſſe ſuo
Venit ut ad cenam dignus mercede laborum
Inquit terrenis hoſpita terra vale
Debitor inſignis ne creditor opprimeretur
Sichem namque polo reddidit oſſa ſolo
Qui legis in titulo ſi ſic cupis eſſe probandus.
Hujus ad exemplum curre per alta maris.

„ Doctor Docto rum jacet hac Burgundius ur na
„ Gemma Magiſtro laudabilis & diutur

„ Dog-

„ Dogma Poeta rum cui littera greca lati na
„ Ars medicina patuit sapientia tri
„ Et nunc Pisa do le tristeris Thuscia co ta
„ Nullus sub so cui sic sint omnia no
„ Rursus ab Angeli co cetu super aera vec tum
„ Nuper & a reli cclo gaudente recep
„ Anno Domini MCLXXXXIIII. tertio Kalendas
„ Novembris indictione XII.

Quo ex epitaphio discimus, eundem Burgundium Poetam quoque, & Medicum fuisse, praeter laudem eximii Jurisconsulti, ac Clarissimi Interpretis, qua magis inclaruit. Caeterum non omittam quod Vir Eruditissimus Ubertus Benvoglienti arbitratur ex Senensibus oriundam Burgundiorum familiam, & anno 1055. Judicem quemdam Burgundium in publicis Actis memorari, qui bona quaedam in Senensi territorio possideret.

32. Adde & F. Leandrum Alberti Bononiensem Ord. Praedicatorum, qui saeculo sextodecimo ineunte florebat; nam in discriptione Italiae, quam anno 1537. primùm edidit, de Cumanis agens, eo se loci versatum an. 1526. ac decennio post se illuc iterum contulisse fatetur: ideoque ab Ludovici Bolognini aetate, qui anno 1508. decessit, non longè abfuit, librosque ab illo in Patrii Coenobii Bibliotheca sui Ordinis depositos ignorare non poterat, in quibus fabulosa illa narratiuncula, de Pandectis in Amalphitana direptione per Pisanos repertis, descripta erat. Is tamen ubi de Hetruria agit, ac Pisanorum gesta in Rogerium refert, nihil de Pandectarum inventione indicat, imò post paucas lineas subdit: *Portarono anche da Costantinopoli a Pisa le Pandette, che al presente si trovano in Fiorenza*. Item ubi de Amalphi disserit, deque Pisanorum militari in ipsam excursu, ac finitimarum terrarum expugnatione agit, de Pandectis inde relatis penitus silet. In eandem sententiam Tristanus Calchus Historicus Mediolanensis adjungi potest, quatenus *ad calcem lib. III. suae historiae* sic scribit: *Archetypa Pandectarum nescio qua tempestate delata in Italiam, diu Pisis servata sunt: inde Florentini in*

 sen-

Curiam suam transtulerunt; innuere siquidem & ipse videtur, illa volumina immediatè ex Constantinopolitana urbe Pisas delata, non autem Amalphi prius constitisse, indeque Pisas advecta.

33. Sed & ipsimet Bolognino, antequam Pisas se conferret, ac cum Philippo Griffio colloquium haberet, illud commentum ignotum ma isse oportuit, usque annum 1507. quo de sua Pandectarum castigatione edenda, ac Julio II. Summo Pontifici [a quo & Privilegium impetravit à Berchmanno vulgatum, *lib.* 4 *cap.* 2. *pag.* 321.] dedicanda serio cogitaret; In hac enim dedicatione, ut idem Berchmannus refert *pag.* 409. sic loquitur Bologninus: *Originales etenim Pandectas nunc Florentinas ab anno Domini MCCCCVI. huc usque, quae olim Pisanae fuerunt, & per prius Malphenses, a quibus capta ea civitate, Pisani eas habuere anno Domini MCXXXVI. prout in Pisanis annalibus apparet, & per prius Constantinopolitanae fuere, &c.* Annales illos apocryphos citans, quos supra expendimus. At dum anno 1502. libros illos emendatos Florentiae in Conventu PP. Praedicatorum reponendos decerneret, summa vigilantia, & religione custodiendos, in ejus dispositionis formula *pag.* 319. & 320. a Berchmanno relata sic idem Auctor loquebatur: *Iste liber correctus est, & castigatus fuit ad unguem secundum originales, & Florentinas Pandectas quae olim Pisanae, ac per prius Constantinopolitanae, per me Lodovicum Joannem de Bologninis de Bononia anno MDI. & MDII. quibus fui in regia Civitate Florentiae, &c.* En ut illas nunquam *Amalphitanas*, sive *Malphenses* appellet hoc loco, ut postmodum illas vocavit in nuncupatoria superiùs adducta, postquam scilicet à Griffio falsa illa opinione imbutus fuerat, de Pandectis in Amalphitana expugnatione repertis, quam simplici credulitate ductus avidissimè excepit, ut pote *homo, neque natura acutus, neque institutione eruditus satis*, ut eum appellat Antonius Augustinus *emendationum lib.* 4. *cap.* 16. sibique & aliis propinandam voluit, absque ulteriori examine, ut rudioris illius saeculi mos ferebat.

A P-

APPENDIX
VETERUM MONUMENTORUM
Num. I.

Sententia Judicati Luitprandi Regis circa Jurisdictionem Aretini Episcopi in quasdam Ecclesias Territorii Senensis. (a)

„ Ex transumpto Archivi Monasterii
„ Monialium nostrarum S. Benedicti Aretii.

Lata anno 715.

FLavius Liutprandus (b) precellens Rex Sancte Catholice Aretine Ecclesie, in qua corpus Christi Confessoris, & Martyris requiescit Donati Beatissimo Viro Patri nostro Lupertiano Episcopo [c]. Dum contentio orta fuisset, inter suprascriptum Lupertianum Episcopum & Adeodatum [d] S. Senensis Ecclesie Episcopum de Diocesis Ecclesiis & Monasteriis atque Oraculis in Senense territorio constitutis. Idest monasterium S. Ansani Baptisterium S. Stephani in Acciano Baptisterium S. Marie in Pacina Baptisterium S. Hippoliti in Sessiano Baptisterium S. Joannis in . . . . Monasterium S. Archangeli in fundo luco. Baptisterium S. Andree in Malcino (e) Baptisterium S. Petri in Pava. Baptisterium S. Marie in Cotona. Baptisterium SS. Quirici & Joannis in vico falcino. Baptisterium S. Restitute in fundo Sessiano. Baptisterium S Felicis in Avena. Baptisterium S. Matris Ecclesie in Misulas. Baptisterium S. Valentini in Casale Ursino. Monasterium S. Petri in Axo. Baptisterium S. Viti in Rutiliano & S. Matris Ecclesie in Castello Politiano. Et ambe partes altercantes in nostra conjunxissetis pre-

 sentia

sentia afferebas tu suprascripte Lupertiane Episcope quia Ecclesias istas & Monasteria cum suis oraculis per diversa vicora [f] constituta a tempore antiquo usque modo in quo fundite sive condite sunt semper ad Sedem S. Donati de Aritio subjecte fuerunt & nostra vel antecessorum nostrorum fuit sacratio tam in presbiteros quam & in Diaconos & nostra usque actenus mansit possessio, & nos debemus habere. Ad hec replicabat Adeodatus Senensis Ecclesie Presul. Veritas est ut asseris quod Ecclesie iste & Monasteria atque oracula, que in territorio Senensi constitute sunt ab Antecessoribus vestris ibidem semper fuit sacratio sed ideo quod Ecclesia Senensis minime habebat Pontificem (g) nunc autem ad nos debent pertinere. Cui . . . . iterum replicabat supradictus Lupertianus Episcopus. Ab antiquo tempore usque ad introitum in Italia Langobardorum ex quo Christi predicatio Thuscie finibus personavit Sena Episcopum habuit & post ingressum Langobardorum in Italia a tempore Rhotari Regis [h] usque actenus semper Episcopus ibidem fuit. Sed tam Romanorum tempore, quam Langobardorum habendo & non habendo Senam Episcopum usque in presentem diem ipsas Ecclesias & Baptisteria (i) & Monasteria cum suis oraculis ad nos pertinuerunt & de nobis Chrisma susceperunt per singulis annis & consignationem in populo fecimus & secundum canonicam regulam habere debemus . . . . & presbiteri suprascriptarum Ecclesiarum semper . . . . transierunt quam & qui nunc supersunt sacrationem a sede Beati Donati summiserunt. Et ecce manus eorum scriptas ubi fidem & obedientiam secundum consuetudinem Aretine promiserunt Ecclesie. Nam & de hac causa jam missus suprascripti Domini Regis nomine Gunteran Notarius directus est qui & causas & merita tam per ipsos Presbiteros & diaconos quia sacrationem a nostra Ecclesia susceperunt seu & per singulos Arimannos (k) ipsius Senensis Civitatis inquisivit & rei veritate comperta usque in Concilium Episcoporum deduxit idest in presentia sanctissimorum Fratrum nostrorum Theodaldi Fesulane

Eccle-

Ecclesie [l] Maximi Pisane [m], Speciosi Florentine [n], atque Talespriani [o] Lucensis Ecclesie Episcopi in quorum presentia ut supra altercavimus & ipsi canonico ordine relecta inquisitione quam missus Domini nostri fecerat terminum posuerunt & cum sex presbiteris meis sibi Sacramentum prebui quod ipsa diocesis Ecclesie cum Monasteriis & oraculis suis semper ad Beati Donati pertinuissent sedem nec per legem eas perdere debemus. Tunc nostra Excellentia una cum venerandis Viris Theodoro Episcopo [p] castri nostri Felicitatis & Emuliano Abbate atque Sergio vel Albino Presbiteris nec non illustribus Judicibus nostris qui nobiscum aderant idest Audualdo Duce Gaidualdo & Landonio Aufris & Aufire Statoribus Senone Rotfrit & Ruberto Majordomo [q] hanc audientes vestram alligationem [r] interrogavimus & per Dominum factorem Celi, & Terre & per beatum Petrum cui Dominus ligandi solvendique in celo & in Terra tribuit potestatem adjuravimus ipsum Adeodatum Episcopum Senensis Ecclesie ut nobis de hac causa luce clarius diceret veritatem, qualiter causam sine peccato finire deberemus. Qui statim coram omnibus pronunciavit in faciem & ita professus est .... coram .... quod iste sepius dicte Ecclesie & Monasteria cum suis oraculis consecrationem & obedientiam à sede B. Donati Aretine Ecclesie Presulis vel ab ejus defensore [s] habuerunt & ibidem pertinuerunt nam ad Senensem Ecclesiam nihil debentur nisi contra divinam & Canonicam institutionem dum inter Aretine Civitatis habitatores & Senensem populum inimicitia de morte Godalberti Judicis Consobrini mei tempore gloriosissimi Aritperti Regis [t] fuisset sic dolose ibidem ab Antecessore meo [u] unum tantummodò annum per aliqua oracula intra ipsa diocia [x] enormiter sacratio provenit. Sed & anno isto [y] dum incaute & contra justitiam causam promoverem ex jussu bone memorie Apostolici Constantini [z] & per me extra ordinem & ractionem ibidem in Presbiteros duos & uno oraculo sacratio facta est. Hanc igitur professionem nostra Excel-

lentia

lentia cum jam dictis Venerabilibus Viris per illustres Judices nostros audientes rectum nobis paruit ut qualiter suprascripte Ecclesie & Monasteria a longo tempore ad sedem B. Donati pertinuerunt & in antea pertinere debeant & omnis sacratio in Presbiteros & in Diaconos per Presulem Aretine Ecclesie qui nunc est aut fuerit omni tempore in eos perveniat sicut & prefati Sanctissimi nostri Theodaldi maximi Speciosi & Talesspriani Episcopi per suum judicatum statuerunt, & nulla amodo liceat ipse Adeodatus Senensis Ecclesie Episcopus vel successores ejus de ipsis diocesis Monasteriis oraculis facundiam ad loquendum habeat .... in ipsis Ecclesiis Monasteriis aut oraculis qui sunt aut in tempore fuerint maneat ordinatio nullo contradicente sicut & antiquitus usque actenus fuit qualiter ipse Adeodatus Episcopus Senensis Ecclesie Uvarnefrit & Agiperto Castaldi (*aa*) ejusdem Civitatis nobis professi sunt quod vestra mansisset semper possessio . . . . in mandatis cunctis judicibus & gentibus atque sub regni nostri dictione pertinentibus ut nullus eorum contra hoc nostrum dijudicatum audeat ire quandoque preceptum sed nostris perpetuis & infinitis presens noster judicatus stabilis persistat temporibus. Ex edicto Domini Regis per Senonem illustrem Virum scripsi ego Joannes Notarius. (*bb*)

N O T A E.

(*a*) Circa eandem controversiam duas alias chartas profert Ughellius ex Burallio *tom.* 1. *in Episc. Aret.* alteram Ambrosii Majordomus ipsius Liutprandi missi ab eo in Thusciam ad causas ejusmodi componendas, alteram ipsius Liutprandi, sententiam Ambrosii confirmantis, datam *Ticini in palatio regio sexta die mensis Martii anno felicissimo Regni nostri tertio, indictione tertiadecima*; utrique tamen tum ipse Ughellius parum fidit, tum omnem abrogat auctoritatem Clarifs. & Eruditifs. Vir Ubertus Benvolentius in notis ad Episcopos Senenses *Ital. sac. tom.* 3. Similem fortunam habebit, opinor, haec pariter charta, quam hic proferimus, quae posterius data videtur ab ipsomet Liutprando in Hetruria tunc praesente, cum Ambrosii judicio; ejusque

ejusque confirmationi Senensis Praesul non acquiesceret. Nec potiori loco habebitur, ut puto, sententia Caroli Magni apud Ughellium *ubi supra* relata, confirmans Leonis III. Papae decretum circa eandem controversiam, inter Aribertum Aretinum Episcopum, & Andream Episcopum Senensem iterum renovatam; ac re ipsa illud Caroli M. privilegium Benevolentius pariter nullius roboris, & auctoritatis pronunciat. Verùm etsi ex scriptorum vitio pluribus in locis has chartas depravatas agnoscam: penitus tamen confictas, ac suppositas esse non arbitror: consonant enim sibi invicem, ac satis respondent tempori aliorum Episcoporum, qui in his nominantur; nec verosimile est praecedentibus saeculis admodum rudibus eruditos adeò Impostores vixisse, nec ulla ex parte anachronismo aliquo figmentum illorum se prodidisse. Ad haec Alexandri II. Papae bulla apud eundem Ughellium legi potest data Constantino Episcopo Aretino anno 1070. indictione VIII. anno sui Pontificatus IX. quae nullo ex capite falsitatis revinci potest (correctis tamen verbis *Apostolico Mandamini* in haec alia *Apostolico moderamini*) ubi fit mentio tum de Liutprandi, tum de Caroli Magni sententiis hac de controversia inter Episcopos Adeodatum & Lupertianum, necnon Andream & Aribertum olim agitatis.

(*b*) Liutprandus sub finem anni 712. Regno Langobardorum potitus est, ut ex Pagio ad hunc annum *num.* 8. deducitur; obiit autem anno 743. exeunte, vel sub initium 744. cum annis XXXI. mensibus VII. regnasset.

(*c*) Sedit Lupertianus in Aretina Cathedra ab anno 714. ad 740. Impartianus etiam vocatur in veteri catalogo apud Scipionem Ammiratum. In Catalogo Clariss. Viri Benedicti Falconcini Episcopi Aretini dicitur Lupertianus ordinatus à Gregorio II. anno 723. quod hinc falsi revincitur.

(*d*) De tempore hujus Episcopi dubitat Benevolentius, quod Scripturis de ejus cum Aretino Praesule Lupertiano controversia tractantibus non admodum fidat: sedisse videtur ab anno 712. ad annum saltem 732.

(*e*) Forte legendum *M. Alcino*, idest *idest Monte Alcino*.

(*f*) Vicos intellige, seu pagos quoslibet.

(*g*) In sententia Ambrosii Missi Liutprandi Regis apud Burallium & Ughellium habetur, quod: *primum quidem tempore Rotharii, Regis ordinatus est in Civitate Senensi Episcopus nomine Maurus*. Quod si est, antiquiores illo Episcopi ab Ughello relati fictitii sunt, atque ex Caesenate, vel Senogalliensi Ecclesia assumpti, ut etiam Benevolentius consentit. Sanè in posteriori editione Ughellii additus est *num. XI.* Maurus alius Senensis Episcopus qui

qui anno 649. Lateranensi Concilio interfuerit, qui plane non alius est ab Episcopo Caesenate Mauro I. de quo Ughellius inter Caesenates *num.* 16.

[*h*] Regnavit Rotharis Rex Langobardorum ab anno 630. ad 646. ut probat Pagius.

(*i*) Baptisteria hic, & supra saepius. Ecclesias baptismales significant. Vide du Cangium in Glossario.

[*k*] Idem quod *Herimanni*, Incolae, Vassalli, aliquando & milites. V. du Cangium in hoc verbo.

(*l*) Theodaldus in Fesulanis Episcopis deest apud Ughellum, nam S. Romano Episcopo anno 590. mortuo Successorem statuit S. Donatum, qui anno 861. Concilio Lateranensi habito à Nicolao Papa I. subscripsit; Unde tam magno vacuo ex parte replendo, inferendus videtur Theodaldus iste ad annum 715. cum aliis antea & post deficientibus; imo & Grusolphus Episcopus, quem Ughellius S. Donato postponit, illi anteferendus est ad annum 826. ut in secunda Ughellii editione notatum est.

[*m*] Maximi hujus Pisani Episcopi meminit Ughellius, ipsum regnante Liutprando interfuisse cum Episcopo Aretino, & Adeodato Episcopo Senensi cuidam Synodo in Hetruria, quae Synodus non alia erit à Conventu per hanc ipsam chartam designato, cujus & meminit Alexander II. in Bulla *ad notam* (*a*) supra citata.

(*n*) Vivebat Speciosus Florentinus Episcopus usque ad annum 724. quo Canonicis S. Jo: Baptistae, & S. Reparatae amplissima paterna latifundia largitus est. Vide documentum apud Ughellum.

(*o*) Ughellus *Taporperianum* nominat, ac sedisse docet in Lucensis Ecclesiae cathedra ab anno 714. ad 730., ac fratrem fuisse Sigismundi Archipresbiteri Cathedralis.

(*p*) Florebat ea aetate Theodorus Ostiensis Episcopus, qui usque ad annum 743. vivens subscripsit Romano Concilio per Zachariam Pontificem; an hic sit, qui *Episcopus Castri Felicitatis* dicitur, ambigo; nam in Latio, ipsiusque Ostiensis, aut Velitrensis Episcopatus dioecesi ad radices Circaei montis adest Castrum S. Felicitatis Patria Coelestini II. Papae; fieri autem potest, ut olim & oppidum illud urbs fuerit episcopalis, ut olim Cora, & Cisterna ejusdem dioecesis oppida; quod & sentiunt nonnulli, Episcopatum Circejensem ad paghum *S. Felicità* dictum inter antiquatos Episcopatus, Italiae Sacrae tomo X. numerantes. Sed & idem Ostiensis Episcopus dici poterat Episcopus Castri Felicitatis quòd tantum in ejus dioecesi oppidum illud foret, ibive tunc temporis resideret. Caeterum Castrensis Episcopus alius est in Faliscis ad nunc di-

rutam

rutam Castri urbem, insignis Jurisconsulti Pauli Castrensis Patriam. Alius in Hydruntina terra, qui Archiepiscopi Hydruntini suffraganeus est. Alius in Sardinia sub Turritano Archiepiscopo; estque apud me exemplar diplomatis, quo *Atbo Dei gratia sanctae Castrensis Ecclesiae humilis Episcopus dilecto Patri GG.* (nempe Gregorio) *Priori Camaldulensi, suisque successoribus, &c. cum rogatu consilio, & voluntate Domni. Barusonis Turritani Regis, & Judicis, necnon & viri Religiosi domni Alberti Archiepiscopi suorumque coepiscoporum* concedit Ecclesias *S. Saturnini de Ussolvisi, S. Mariae de Auela & S. Georgii de Aneleto cum omni jure & pertinentiis suis*. Anno 1164 Indictione 12. Sed ejusmodi Episcopis non videtur accensendus Theodorus hic citatus. Vide etiam infra dicenda in nota (*e*) documenti numeri III.

(*q*) Praefecto scilicet Aulae Regiae, qui forte Ambrosio fuerat subrogatus.

[*r*] Nimirum *allegationem* scribere voluit.

[*s*] Advocato nimirum Ecclesiae.

[*t*] Aritpertus ejus nominis II. intelligitur, qui ab anno 700. ad 712. regnavit, cui in Ticini aquis demerso Ansprandus successit, & post tres menses eodem anno Liutprandus ejus filius.

[*u*] Adeodati antecessorem Ughellus statuit *Causirium*, sed annum 722. illi perperam assignat, cum ante annum 715. obierit, & tempore Ariperti, idest ante annum 712. florere debuerit.

[*x*] Dioecesim intellige.

(*y*) & (*z*) Videtur scriptum hoc judicatum anno 715. quo utique obiit Constantinus Papa, die 18. Martii Indictione XIII. nam *anno isto*, inquit, se *jussu bone memorie Apostolici Constantini* causam hanc promovisse, ergo ipsomet anno, quo jusserat Pontifex Causae prosecutionem, ad plures abiisse censendus, cum *bonae memoriae* clausula plerumque mortuis tribuatur; *plerumque*, dixi, non *semper*; in ea enim adhuc sum sententia, quam *differt. II. Camald. cap. 7.* defendi, quam & antea eruditiss. Du Cangius, & Cl. Mabillonius, & postmodum Doctissimus Muratorius tutati sunt, titulum illum etiam adhuc viventibus saepe tributum: cujus rei, non bina tantum, quae tunc protuli, exempla habeo, sed fermè viginti hactenus cumulavi: nec vidi quidpiam alicujus momenti sententiae meae oppositum, sive ab Auctoribus Diarii Veneti, *tom. 9. art. 12. pag.* 441. sive à Guglielmo Cupero *in Comment. praev. ad Vit. S. Jo: Gualb. inter Acta SS. Bolland. §.* 10. quominus famosa Privilegii Theodaldi Episcopi Aretini verba (de quibus tunc agebatur) adhuc de superstite Romualdo intelligi possint. Sed hoc loco, ideo Constantino Papae jam mortuo illa formula convenientius adaptari debet, quia praesens Liutprandi privilegium, confirmans

mans

mans canonicam Episcoporum sententiam, post ipsius Adeodati Episcopi synceram confessionem, posterius videtur altero ab Ughello citato confirmante sententiam Ambrosii Missi ab ipso Rege, cui Pars non acquieverat, ob delectum fortasse Ecclesiasticorum Judicum, ad quos potius deferenda erat illius Causae disceptatio; unde cum illud anno III. Regni Liutprandi indictione 13. adeoque anno 715. emortuali ipsius Constantini emanaverit, facilius est, post ejus mortem hoc a nobis relatum judicium factum fuerit, ideoque ut formula *bonae memoriae* ipsum Constantinum defunctum innuat.

(*aa*) Praefecti cum jurisdictione ad justitiam Senensibus, ex parte Regis ministrandam. Vide Du Cangium *V. Gastaldus*. Ex his autem prior Uvarnefrit idem videtur esse ac *Wanfredus* Castaldius Liutprandi Regis apud Senenses, qui Monasterium S. Eugenii Abbatis non procul ab ea urbe fundavit anno 731. cujus erectionis diploma habet Ughellus agens de Adeodato Senensi Episcopo.

(*bb*) Deest data cum suis chronicis notis, quae majorem lucem huic negotio afferrent.

Num. II.

„ Judicatum quorundam Judicum & Scabinorum
„ cum Missis Ludovici II. Imperatoris circa pos-
„ sessionem cujusdam domus.

Anno 858.

Ex Archivo Illustriss. & Reverendiss. Archiepiscopi Pisani num. 27.

.... [*a*] ... ad potestate piissimi domni Hludovici Imperatoris [*b*] partibus Tuscie directi fuissent Joannes & Ildiprandus Vassi Imperiales .... lorum hominum justitias faciendum & cum venissent civitate residentes in judicio in sala olim .... ganoni Comiti residentes ...... eos Adalbertus & Ratfredus judices sacri Palatii Ansiprandus Alpertus & Gumpertus Vassi eidem Cesaris Gregorius Rosselmus [*c*] omnes Scabinis Pisensis Chunimundo Scabino Lucense [*d*] Teupertus Ghisulfus Gunderado

derado Nandulfo Nandibodo Teudingo ..... fridi Ramingo Joanni Gherimundo Uvidaldo Adalberto Joannis Grasisermo Ansualdo & reliqui multi ibique in judicio sunt Leo filius quondam Petri una cum conjuge sua nomine Adelinda necnon & Goffrid advocato Episcopatui Sancte Marie Pisense in quo vir beatissimo Joanne Episcopo [e] preesse videtur altercationem inter se habentes dicendum ipse Leo Servi & pertinentes Episcopatui Sancte Marie de quibus iste Gosfrid peragit causa fecerunt vasionem [f] in casa & res illas loco nunchupant Tredecim prope Ecclesia Sancti Fridiani qua casa & res fuerunt pertinentes quondam Mauri Formicini natione Corso qui fuit socero meo & ipse socero meus reliquit in successione istius Adelinde conjugi mee. Unde queso ut exinde inter nos detis judicium. Hoc dictum obvians ei memoratos Gosfrid & dixit parte Episcopatus Sancte Marie habet & detinet aliquantas casas & res in loco Tredecin set ipsa casa & res de quibus tu Leo mihi queritur ego nescio refertum hoc dedit in uuadia ipse Leo eidem Gosfrid de casa & res ipsa ostensa ipse Gosfrid dedit ei uuadia ut esset paratus ad videndum & reverteret ad placitum starent exinde ad rationem secundum Lege & statuerunt inter se fidejussores & constituto ei dum ipsi missi cum prefati Judices Imperiales perrexissent parti ..... in servitio eidem Augusti & non fuissent ad ipsum predestinatum placitum tunc per imperialem jussonem una cum memorato Joanne reverentissimo Episcopo Pisense Raghinardo Gastaldio in domo hujus Episcopatui Pisensis resedentes in judicio nos prefatis Rossfelmus & Joannes Scabinis Teupertus Urso Vicedomini Gunderado ubi nobis aderant Nandolfo Nandibodo Adalperto Handiperto Cunerado Ramingo Joanni Traimundo Adalberto Osprando hunc & alii plures reversi sunt ambas partes ante nos in judicio. Cepit memoratus Gosfrid dicere eidem Leoni. Ostendisti mihi casa & res in loco Tredecim sicuti mihi tu uuadiam dedistis & ipsa casa & res parte Episcopatui Sancte Marie habuit & possedit per annos triginta & amplius quod nec tibi nec ad con-

conjuge tua nihil pertinuit nec pertenete debentur juxta Lege (*g*) & odie est nostrum firmum constitutum exinde ratione mittendum sicut uuadiatum habuimus refertum. Hoc interrogamus nos qui supra Auditores & Judices eundem Leonem una cum suprascripta Adelinda conjuge sua professi sunt & dixerunt. Vere casa & res ipsa de quibus intentione ista habuimus nos eas contendere non valemus quia non possumus nec nobis nihil pertinuit nec pertinere debentur juxta lege. Hec professio facta causa manifestata quomodo aut qualiter ab hordinem Superius legitur paruit nobis recte quorum supra Auditores & Judices una cum omnibus ibi nobiscum adsistentibus & ita judicabimus ut secundum eorum altercationem & secundum ipsorum Leoni & de conjuge ejus professionem habere debuisset suprascripta casa & res parte Episcopatui Sancte Marie de quibus ipse Gosfrid advocatus peragebat causa absque illorum Leoni & de conjuge ejus contradictionem & pars ipsorum Leoni & de conjuge ejus essent exinde remoti & contempti; Et taliter est inter eis finita causatio. Unde qualiter ante nos hac causa perhacta & deliberata est hanc notitia judicati nostri pro securitate memorati Episcopati sancte Marie fieri previdimus quidem & ego qui supra Gregorius Notarius & Schabinus scripsi anno imperii Domini nostri Hludovici Imperatoris octabo decimo Cal. Aprilis indictione sexta (*b*).

Signum ✠ manus Raghinardi Gastaldio Pisense qui interfuit.

✠ Ego Joannes Notarius & Scabinus interfui.

✠ Ego Teupertus ibidem fui.

✠ Ego Rosselmo Notarius & Scabinus interfui.

✠ Ego Hunderado ibi fui.

✠ Ego Nandolfo interfui.

✠ Ego Nandibodo filius bone memorie Nandulfi interfui.

✠ Ego Urso Archipresbiter & Vicedomui interfui.

✠ Ego Petrus Diaconus interfui.

✠ Ego Adalberto filio bone memorie Andree interfui.

✠ Ego

✠ Ego Traimundo filio Joanni interfui.
Signum ✠ manus Hunoldi qui interfuit.
✠ Ego Adelberto filio bone memorie Banducci ibidem fui.

NOTAE.

(*a*) Deest principium hujus chartae, jam pridem hoc loco, & pluries infra aliquantulum corrosae, non magnis tamen lacunis interruptae.

(*b*) Ludovici utique ejus nominis secundi; nam de Ludovico Pio intelligere nos hoc documentum non sinit Indictio sexta cum anno imperii octavo conjuncta, ut in calce habetur, & nota (*b*) infra expendimus. Siquidem Ludovicus Pius à Februario anni 814. quo Carolus M. ejus Pater mortuus est, initium annorum imperii sui auspicatur, adeoque ad annum 821. indictione 14. non 6. insignitum, ejus imperii annus octavus referri debet: Quod si legas *anno octavodecimo*, ad annum 831. indictione 9. non sexta pariter notatum pervenies.

(*c*) In aliis etiam ejus aevi documentis mentio recurrit hujus Rosselmi, ex quo nobilissima Rosselminorum familia, quae adhuc Pisis floret, fortasse deducta est: Nam diminutivum Rosselmi vocabulum est Rosselminus, ob exiguam, puto, staturam Auctoris ejusdem Familiae, ipsius Posteris inditum.

(*d*) Scabini erant Assessores Comitum, seu Missorum Imperatoris, ex Judicibus tamen propris, & nativis ipsorum Locorum, ubi judicia fiebant, vel ex conterminis Civitatibus assumpti: Unde hic praeter Pisanos Scabinos, etiam Lucensis Scabinus admissus legitur. Vide Du-Cangium *in Glossar.* & Muratorium *in notis ad l. 45. Caroli M. part. 2. tom. 1. Rer. Italic.*

(*e*) Honorario hoc titulo *Beatissimi* olim Episcopi omnes gaudebant. Nunc soli Romano Pontifici, totius Ecclesiae Hjerarchae reservatur. Porrò cùm plures eodem Joannis nomine insigniti Pisanae Ecclesiae praefuerint (nam ante annum Christi millesimum, quinque numerantur in Catalogo Dempsteri, sex verò apud Ughellium) subit dubitatio, de quonam ex hisce intelligi debeat hoc documentum. Sed quoniam corrupta nimis, & confusa est apud hos Auctores Pisanorum Praesulum Series, operae pretium me facturum existimo, si hac occasione illam ex parte reformare aggrediar, ex quo patebit, tres tantum ejus nominis Joannes primis illis saeculis Pisanam Ecclesiam administrasse, quantùm ex vetustis, & indubitatis monumen-

numentis colligi poteſt; atque ex his ſecundum (qui Dempſtero tertius, Ughellio quartus ad annum uſque 860. vivebat) eum eſſe, de quo in hac ſententia ſermo eſt. Longioris digreſſionis taedium ejus utilitas, ut arbitror, compenſabit. Tantum verò Epiſcopos inter Maurianum, & Opizum interpoſitos recenſebo; major enim in his, quam in reliqua ſerie eſt emendationis neceſſitas.

MAURIANUS, qnem generali Concilio S. Agathonis Papae anno 680 ſubſcripſiſſe Ughellius notat, aliamque ejus mentionem occurrere ad annum 674. in Nonantulano Codice, teſtatur.

MAXIMUS anno incerto, ſed tempore Liutprandi Regis floruit apud Ughellium. Eum anno 715. ſediſſe conſtat ex charta ipſius Liutprandi Regis ſuperius adducta, ubi & coaevus eidem memoratur Lucenſis Epiſcopus Taliſperianus, quem Ughellius corruptè Taporperianum vocat, atque ab anno 714. ad 730. praefuiſſe illi Eccleſiae aſſerit *tom.* 1. At verè Taliſperianum vocatum fuiſſe confirmat ſententia, in Lucenſi Archivo ſervata, inter hunc, & Joannem Piſtorienſem Epiſcopum, de quibuſdam Eccleſiis Vallis Nebulae, data *anno quarto Liutprandi Regis indictione decimaquarta*, adeoque anno 716. inter Epiſcopum Maximum, & Andream, quem illi immediatè ſucceſſiſſe Ughellus putat, omninò inſerendus videtur.

JOANNES I. de quo in charta Liutprandi Regis menſe Januario anno 18. ejus regni indictione 13. in Archiepiſcopali Tabulario ſervata: quae notae annum 730. appellant; & in quodam teſtamento Liutperti Archidiaconi, cujus corroſae litterae annum primum Ratchis, adeoque annum 744. indicare videntur. Ibi verò idem Epiſcopus etiam Juſtinus appellatur. Forte duplici nomine ſimul inſignitus erat. Poſt hunc verò immediatè ſequitur

ANDREAS, qui durante adhuc anno primo Ratchis, menſe Januario, indictione 13. adeoque anno 745. Eccleſiam S. Mamiliani in Colline donat cuidam Athoni, ex eodem Archiepiſcopali tabulario. Corrigendus igitur Ughellius, qui Andream anno 742. ſediſſe ſtatuit, illique anno 743. Joannem ſucceſſiſſe, uſque ad annum 747. ſuperſtitem, decernit. An verò alius Epiſcopus inter Andream, & Reghinardum mox referendum ſederit, non ſatis liquet: niſi forte Joannem alium hoc loco inſeramus, in Epiſtola Zachariae Papae a Cl. Martinio adducta *in Append. Theatr. Baſil. Piſan pag.* 140. commemoratum, cujus initium eſt: *Venerabili fratri noſtro Joanni Piſano Epiſcopo & dilectiſſimis filiis noſtris Petro Archipresbitero, Hugoni Archidiacono* &c *Gratias ago Deo Patri omnipotenti, &c.* Et cùm chronicis notis careat, ad annum 748. pertinere aſſeritur. Verùm nihil repugnaret, quominus ad annum 744. aliumve ante-

anteriorem Zachariae Pontificis revocaretur, ut Joannem I. Episcopum supra recensitum respiceret. Addo tamen, mihi valdè suspectum esse ejus Epistolae titulum, quia ad ipsum annum 748. eadem prorsus Epistola totidem fermè verbis, ac iisdem phrasibus concepta refertur à Baronio *num.* 13. (imò & alias edita legitur inter Bonifacianas litteras, nempe ad S. Bonifacium Moguntinum Archiepiscopum spectantes, ordine CXXXVI.) sed duodecim Episcopis Galliae, & Germaniae, in Synodum à Bonifacio Archiepiscopo, & Apostolicae Sedis Legato congregandis, directa ab eodem Zacharia Pontifice. Et sanè cum in hac eadem Epistola praedicti Bonifacii Archiepiscopi [licet sola initiali littera B indicati) velut Apostolicae Sedis Legati mentio habeatur: quomodo Impostor, qui illam velut Joanni Episcopo Pisano, ejusque Canonicis scriptam Cl. Martinio vulgandam obtulit, non animadvertere potuit, fraudem suam omni veri specie destitutam apparere debuisse cuilibet in sacra historia vel leviter versato, cum constet ultimum Bonifacii iter in Italiam ad annum 738. pertinere, quo tertium Romam se contulit sub Gregorio III. Papa Zachariae antecessore, adeoque fingi nequeat, ab hoc eundem Bonifacium Pisas missum, ut Apostolicam legationem obiret anno 748. Quid? quod eadem epistola magna ex parte convenit cum alia ejusdem farinae, quae *in dicta Appendice pag.* 135. Pelagio I. Pontifici tribuitur, velut anno 557. Canonicis Pisanis directa, & eundem B. Archiepiscopum, ac Legatum Apostolicum commemorat, ac data fingitur *Pontificatus sui anno tertio*, quae formula illo saeculo in Pontificiis litteris plane est inaudita?

REGHINARDUS itaque ad annum 796. Pisanam Ecclesiam regebat, ex edito monumento Caroli M. apud Cl. Valsecchium, quem mirum est nec Dempstero, nec Ughellio, nec Martinio innotuisse, cùm illius Episcopalis Archivi membranae saepius aliàs excussae fuerint, pro serie Praesulum nostrorum adornanda.

JOANNES II. hinc successit, cujus monumenta in eodem Tabulario occurrunt ad annos 802. & 803. nempe Caroli M. Imperatoris anno secundo quintodecimo Kal. Junias indictione decima, & ejusdem anno tertio mense Augusto indict...... (utique undecima) Adde & aliud monumentum, quod datum dicitur *regnante Domino nostro Hludovico Serenissimo augusto a Deo coronato magno & pacifico Imperatore anno imperii ejus quartodecimo & dilecto filio ejus Domino nostro Hlothario itemque Imperatore anno imperii ejus postquam Italiam ingressus est sexto mense Decembris indictione sexta*, a Septembri nimirum mutata; quae no-

tae annum 827. designant, is enim erat quartus decimus ab anno 814. sub cujus fermè initium Ludovicus Pius, ut vidimus, imperare coeperat, idemque sextus erat ingressus Lotharii in Italiam; Nam licet is anno 817. imperii consors à Patre effectus fuerat, & anno 820. Rex Italiae salutatus, nonnisi anno 822. in Italiam missus fuerat: atque ex hoc anno Epocham Lotharii in aliis diplomatibus deductam fuisse probat Pagius *ad eund. ann. num.* 4. Quod & evincit aliud diploma ejusdem Archiepiscopalis Tabularii *regnante Lothario postquam in Italia ingressus est anno vigesimo sexto mense Octobris indictione duodecima* (a Septembri, ut aliàs mutata) unde Joannem hunc Episcopum anno 848. adhuc Ecclesiam Pisanam rexisse constat, dum non alia proferuntur monumenta, alterius Praesulis nomen intermedio tempore indicantia: quin & ultrà progressum ad annum usque 857. & 858. pervenisse suadent alia tria monumenta, quorum notae chronicae pariformi clausula, *regnante Domino nostro Hludovicus gloriosissimus gratia Dei Imperator augusto postquam in Italia ingressus est anno imperii ejus secundo quintodecimo Kalendas Junii indictione quinta*, ad annum 857. referuntur, sumpta epocha ab 855. quo Ludovicus II. Patri Lothario successit; & hoc denique documentum, quod prae manibus habemus, anni 858. eidem Joanni II. convenire nemo dubitaverit, nec video quid repugnet, ipsum totis LVIII. annis huic Ecclesiae praefuisse, si admodum juvenis ejus regimen sumpserit, & ultra octogesimum annum vixisse supponatur, seu prope nonagenarius obiisse.

PLATO post Joannem Episcopus invenitur, quem Ughellius, & Dempsterus in duos secant, & in novissima Italiae Sacrae Editione in tres divisum exhibent Ughellii Continuatores. At ejusmodi inusitata nomina non ita facile, nec absque idoneo fundamento multiplicanda sunt: cùm non sit verosimile, ita passim iterata fuisse; aliàs verò de uno, eodemque Platone exponi possint, ac debeant monumenta, quae de singulis afferri solent. Ejus mentio habetur in quodam documento Archiepiscopalis Tabularii *anno octavo* (corrrige *octavo decimo*, ex dicendis) *Ludovici Imperatoris Mense Martio indictione prima*, idest anno 868. nam exeunte anno 850. Romae a Leone IV. Papa coronatus fuerat Ludovicus II. de quo hìc sermo est: cùm de Ludovico Pio documentum hoc nequeat exponi, cujus annus octavus in annum 821. indictione 14. insignitum incideret; annus verò octavus decimus ad annum 831. indictione nona notatum pertineret. Hinc patet, cur Ughellius Platonem I. ab anno 821, ad 826. sedisse fingat, Dempsterus ad annum

num 830. illum reponat, & Ughellii Continuatores alterum Platonem II. ex Troncio superaddant ad annum 829. ut apud eos sit ordine tertius qui erat Ughellio, & Dempstero secundus, annis 860. 867. & 870. (quibus revera unicus Plato noster vixit) adscriptus. Nempe tota aequivocatio ex nomine Ludovici Imperatoris, in adducto monumento memorati, pendet, quem illi Ludovicum Pium interpretati sunt, non attenta indictionis repugnantia; hinc nedum secundus, sed &

Tertius è cerebro *excidit* Plato,

cum unus censendus videatur ejus nominis Episcopus, si ad Ludovicum II. diploma illud referatur, ut consonant alia documenta, eundem Platonem Episcopum respicientia, quorum unum Ludovici ejusdem Imperatoris *anno sextodecimo mense madii indictione quartadecima* (sic enim legendum, non *sextadecima*, ut absurdè legirur in corrupto exemplari) nempe an.866. scriptum reperitur, ubi idem Episcopus etiam *Plattus* nuncupatur: aliud verò ex dictis documentis est *Caroli Imperatorie postquam Italiam ingressus est imperii ejus anno primo pridie Kalend. magias indictione nona*; quod non de Carolo Magno interpretari debemus, ut alium Platonem anno 801. viventem comminiscamur, sed de Carolo Calvo, qui anno 875. sub medium Augusti Mensis, quo Ludovicus II. obiit, imperium est auspicatus; quare die ultima Aprilis 876. cui illa indictio 9. adaptatur, annum adhuc primum imperii sui numerabat. Sic & alia documenta ab Ughellio indicata, de unico Platone hic recensito sunt interpretanda. Qui porrò fuerit Biurgus, seu Biugus Episcopus per haec ipsa tempora Pisanam cathedram occupans à Dempstero, & Ughellio memoratus, nondum assequi potui. De Zenobio I. ab iisdem Auctoribus hic pariter inserto agemus, cùm de alio Zenobio, quem pariter unicum fuisse arbitramur, agendum erit.

JOANNES III. Platoni successit, cujus memoria extat in saepe laudati Archivi monumento cum hisce chronicis notis scripto: *Huido gratia Dei Imperator Augusto anni imperii ejus primo mense Junio indictione nona*, hoc est anno Christi 891. quo ipso coronatus est Guido Imperator à Stephano V. Papa die 23. Februarii, ut ostendit Pagius *ad annum* 892. *num.* 2. non verò à Formoso Papa, ut Baronius putaverat, ipso anno 892. id, quod ex hoc ipso documento egregie confirmatur.

TEUDERICUS successit, in cujus monumentis Aera Christi primùm expressè notata occurrit, & quidem Romano more, non Pisano, ut ex indictionibus adscriptis apparet. *Horum unum scriptum est anno incarnationis nongentesimo nono quinto Kal. Septembris indictione duodecima:* unde jam apparet, quid de Ardingo Epi-

 scopo

ſcopo dicendum ſit, quem huic Teuderico, ſeu Theodorico praeponunt Ughellius ad annum eundem 909. Dempſterus ad ſequentem 910. Alterum monumentum datum legitur *anno nongenteſimo decimo undecimo Kal. Martii indictione tertiadecima*; poſtremum autem eodem anno, & indictione *ſeptimo idus Martii*.
WOLFGHERIUS hinc ſequitur (ita enim ſcriptum legi) quem Volferium Dempſterus, Ulferium Ughellus nuncupant, cui & Turrichium, & Volighildium, mihi penitus ignotos, ipſique Ughellio ſuſpectos (nam poſtquam illos retulerat, ſubdit: *Dempſterum demiror, qui hos in cathalogum Piſanorum Praeſulum contulerit, nulla ullius auctoritate Scriptoris ſuffultus: itaque apud ipſum eſto fides ejus narrationis*) praeponunt. Hujus Epiſcopi Wolfgherii monumenta priſtinam conſuetudinem reſumunt, notandi tempus per Regum, & Imperatorum annos, non expreſſa Chriſtianae ſalutis epocha. Eorum quoddam ſic habet: *Ugo divinam ordinantem providentiam Rex anno regni ejus primo decimo Kalendas Martii indictione quinta decima*; quae notae annum 927. indicant, cum praecedenti anno Ugo Arelatenſium Comes Piſas advenisset, ut narrat Liutprandus, atque ab Joannis X. Papae, omniumque Italiae Principum Nunciis, ad regnum Italiae ipſius ſibi capeſſendum, ibidem fuerit incitatus. De Auntio, Actio, Joanne altero & Henrico Epiſcopis, quos Ughellius, & Dempſterus huic ſucceſſores tribuunt, nihil hactenus in vetuſtis monumentis reperire potui, quod illorum ſedis fidem faceret.
ZENOBIUS deinde Piſanae Eccleſiae praefuiſſe invenitur, quem etiam Cenobium monumenta plurima appellant. Hunc quoque duplicem diſtinguit Ughellius cum Dempſtero: alium enim aſſignant annis 841. & 845. alium revocant ad 930. qua revera aetate floruit, non ſaeculo praecedenti. Aequivocationis originem ductam puto ex quodam monumento *Lotharii Regis anno nono decimo idus Magii indictione ſeptima*, quod ad Lotharium I. Imperatorem ſuperiori ſaeculo regnantem retulerunt, cum ad Lotharium Italiae Regem, Hugonis Regis filium, pertineat: nec legi debeat interpoſito commate, *anno nono, decimo idus Magii* (quod abſurdum eſt, nam ultra octavum idus excurri nequit) ſed *anno nonodecimo, idus Magii, &c.* qui eſt annus Domini 949. quo ſolus Lotharius poſt mortem Patris Hugonis regnabat, ſed continuato regni ſui annorum numero ab anno 930. quo in conſortium regiminis ab Hugone adlectus fuerat: alia verò anteriora monumenta ad Zenobium Epiſcopum ſpectantia eundem Lotharium cum Hugone Rege conjungunt: nimirum *Hugonis anno octavo & Lotharii filii ejus tertio indictione ſeptima quarto nonas Martii*; nec non ejuſdem *Hugonis anno octavo & filii ejus Lotharii quarto indictione ſeptima tertio idus Julii*,
ſcilicet

scilicet anno 934. id, quod indicat, initium regni Lotharii inter Martium, & Julium mensem cadere: imò inter Junium, & Julium ex alio monumento *Hugonis Regis anno nono & filii ejus Lotharii quarto indictione octava decimo Kalendas Junii*, nempe anno 935. Alia rursus monumenta Zenobium ipsum commemorant *Hugonis Regis anno duodecimo & Lotharii ejus filii septimo idibus Decembris indictione undecima*, à Septembri scilicet mutata, qui est annus Domni 937. Item *Hugonis anno quintodecimo & Lotharii filii ejus decimo duodecimo Kal. Januarii indictione quartadecima*, pariter à Septembri mutata, qui est annus 940. tum ejusdem *Hugonis Regis anno sextodecimo, & Lotharii filii ejus undecimo undecimo Kal. Aprilis indictione quintadecima*, qui est annus Christi 942. Ac demum, praeter documentum ab initio citatum anni 949. ne quis persistat in ea opinione, quae ad alium Zenobium, superiori saeculo sub Lothario I. Imperatore florentem, illud referendum esse statuit, fidens Ughellii chronologiae, apud quem tunc Zenobius mortuus censetur, aliud monumentum occurrit, viventem Zenobium Episcopum supponens anno 954. ut hae notae chronicae designant: *Berengario & Adbalberto filio ejus Regibus anno quarto quintodecimo Kal. Junii indictione duodecima*.

GRIMALDUS, seu Grimoaldus Zenobio successit, non ab anno 940. ad 958. ut putat Ughellius post Dempsterum (id enim ex supra dictis in Zenobio evidentissime falsum ostenditur) sed ab anno 958. ad 965. nam ejus memoria occurrit in monumento confecto *Berengario & Adbalberto Regibus anno octavo septimo idus Decembris indictione secunda* (a Septembri, de more, mutata) idest anno 958. Item in alio *Berengarii & Adbalberti Regum anno decimo octavo idus Octobris indictione quarta*, a Septembri pariter mutata, hoc est anno 960. necnon *Berengarii & Adbalberti Regum anno undecimo tertio idus Februarii indictione quarta*, scilicet anno 961. & insuper in alio, quod datum est *regnante Hotto Imperatore anno imperii ejus in Italia tertio quinto idus Julii indictione septima*, scilicet anno 964. nam Otho I Imperator ab Joanne XII. Papa sub initium anni 962. fuerat coronatus. Denique mentio ejusdem Grimaldi Episcopi habetur *Ottonis imperatoris anno quarto quinto nonas Martii indictione octava*, nimirum anno Christi 965. Notari autem meretur, quod in diplomate ejusdem Grimoaldi Episcopi relato ab Ughellio sex immediati ejus Praedecessores eodem planè ordine recensentur, quo supra à nobis dispositi sunt; ait enim: *recordari se dicunt quod bone & recolende memorie JOANNEM PLATONEM itemque JOANNEM, &c. post illos secutus est D. THEODORICUS ultramontanus genere, &c. Deinde vero D. WOLFERIUS & ZENOBIUS*

NOBIUS Episcopi &c. nulla mentione interposita Ardinghi, Turrichii, Volighindi, Aunti, Actii, Joannis alterius, & Henrici, quibus haec series apud Ughellium, & Dempsterum interpolata legitur; id quod opinionem nostram mirum in modum confirmat.

ALBERICUS post Grimaldum in Pisana Cathedra resedit, cujus memoria occurrit in documento scripto *Regnante Otho anno imperii ejus in Italia nono & filio ejus item Otho Imperator anno tertio pridie idus Aprilis indictione tertiadecima*, hoc est anno 970. nam Otho I. filius suum Othonem II. anno 967. exeunte in natalitiis Domini ab Joanne XIII. coronari, & Imperialis nominis consortem fieri curaverat. Sed & in alio monumento Episcopi hujus mentio habetur *Regnante Domino nostro Otho* (videlicet secundo) *Imperator Augusto filio bone memorie Othonis Imperator anno Imperii ejus in Italia octavo idus Octobris*, videlicet 975. quo anno *Adalbertus, & Obertus germani Marchioni filii bone memorie Oberti Marchionis & Comitis palatio* quaedam bona Ecclesiae Pisanae largiuntur. Demum anno 985. in quodam monumento ipse Albericus Episcopus annos Incarnationis Domini expressè usurpat more Pisano, ut indictio adjecta prodit: *anno nongentesimo octuagesimo sexto octavo Calendas Junii indictione tertiadecima. Actum Pisa.* Quam consuetudinem caetera deinceps monumenta, quoties annos Domini enunciant, perpetuò observant.

RAIMBERTUS deinde invenitur, cujus mentio in compluribus monumentis occurrit, exprimentibus annos Pisano more 988. octavo idus Aprilis, indictione decima quinta, & 989 quartodecimo Kal. Julii indictione prima, & sic deinceps [ne cum nimio Lectorum taedio haec minutius, & prolixius exponam, in quibus nulla est difficultas] usque ad annum *nongentesimum nonagesimum quintum quarto nonas Septembris indictione octava*: quod indicat, mutatam ab illo indictionem ab ipsis Kalendis Septembris, nam annus communis 994. tunc utique agebatur.

WIDO, seu Guido subrogatus videtur Raimberto [etsi Petrum Ughellius cum Dempstero suffectum putent anno 1005. de quo aliunde non constat, sed tantùm anno 1105. exeunte Petrum Abbatem S. Michaelis Archiepiscopum Pisanum electum liquet post mortem Daiberti] ejus mentio in monumentis annorum 1007. 1009. 1011. 1012. & 1013. Pisano more signatorum occurrit. Cur in duos, aut tres hic Episcopus pariter ab Ughellio, & Dempstero dividatur, alium ab anno 1006. ad 1012. mox, inserto Lamberto Episcopo ad annum 1013. alium Widonem anno 1015. & alium immediatè sequentem anno 1019. distinguendo, planè non liquet. Lambertus ille anno 1013. no-

tatus

tatus non aliunde Ughellio innotuit, quam ex Breviario historiae Pisanae ab ipsomet edito, & nuper a Muratorio *tom.* 6. *Rer. Ital. pag.* 167. iterum impresso, ubi asseritur ipsum, anno 1017 [non 1013.] Pisanis Sacris praefuisse, cùm Benedictus VIII. Papa, misso Legato suo Ostiensi Episcopo, Pisanos ad arma in Mugettum Sardiniae Tyrannum arripienda concitavit, ut inde Saracenos expelleret. Optandum verò, ut aliunde, quàm ex hac chronica Episcopi hujus Lamberti nomen innotesceret, cui plurima repugnant monumenta, pro Azone Episcopo inferius adducenda. Observo autem Ugonem Episcopum hic quoque ab Ughellio inseri *in Append. tom.* 3. *edit.* 1. cujus apud Dempsterum, aequè ac apud Martinium nulla mentio est. Itaque hoc pariter praetermisso, donec ejus, & Lamberti certiora monumenta proferantur,

AZO, sive Atho, vel Hactio, aut Actius in variis monumentis nominatus Widoni successit. Hunc ejus nominis secundum vocant Ughellius & Dempsterus, decepti, ut alias, falsis superscriptionibus monumentorum ad ipsum spectantium: nam externae superficiei membranarum convolutarum, à sciolo quopiam chartas Archivi dudum perlustrante, pro serie Episcoporum eruenda, ac Dempstero communicanda, adscriptum est Episcopi nomen, & annus Christi ex Imperatorum, & Regum annis in quolibet documento notatis, imperitè deductus. Ut exempli causa in monumento ad hunc Azonem spectante, cum notis chronicis: *Regnante Domino nostro Henrigo gratia Dei Imperator Augusto anno imprii ejus in Italia secundo tertiodecimo Kal. . . . . . . ind. tertiadecima*, superscriptus est annus 921. quasi ad tempus Henrici Aucupis Germaniae Regis [non Imperatoris] referri deberet; itaque hinc conficti sunt Actius I. & si diis placet, Auntus [pro varia veteris scripturae interpretatione à variis facta, ob evanidi, & barbarè expressi characteris difficultatem] annis 920. & 924. inter Pisanos Episcopos intrusi. Verùm dubitare non licet, monumentum illud ad annum 1015. pertinere, qui secundus erat à coronatione S. Henrici, cognomento Claudi, in Imperatorem, & illa indictione 13. ritè consignabatur. Idem dicendum de alio documento ejusdem anni 1015. ipsius Henrici anno secundo quinto idus Octobris indictione quartadecima à Septembri mutata, ubi ejusdem Azonis Episcopi mentio est, quemadmodum & in alio documento *Regnante Domino nostro Enrigo gratia Dei Imperator Augusto anno imperii ejus in Italia quarto idus Novembris indictione prima*, à Septembri mutata, utique ad annum 1017. referendo (quo Lambertum Episcopum illa Pisana chronica nobis obtrudunt) licet ad annum 904. in illius membranae notatione perperam refe-

referatur. Ejusdem Athonis Episcopi mentio recurrit *anno sexto Henrici Imperatoris ipsa die Calendarum Novembrium indictione tertia*, mutata a Septembri, adeoque anno Christi 1019. demum anno 1031. iterum idem Azo Episcopus commemoratur, scilicet *anno quarto Conradi* [utique secundi] *Imperatoris nono Kal. Aprilis indictione quartadecima*. Ex quibus patet, quid sentiendum de Ughellii opinione, ex quodam Ubaldi Archiepiscopi documento deducta, quod ab anno 1015. per viginti fere annos Pisana Ecclesia Pastore viduata manserit: quae sententia, nec cum Episcopis Lamberto, Uvidone, & Ugone ab Ughellio adductis conciliari potest, ut ejus Continuatores in postrema editione notarunt.

OPIZO tandem successit, cujus memoria occurrit in monumento facto anno 1039. *Regnante Domino nostro Chunradus anno imperii ejus in Italia duodecimo quarto nonas martii indictione septima*, & deinceps in aliis compluribus ejus saeculi monumentis, quae hic enumerare non vacat. Tantum moneo hinc etiam constare, quam corrupta sit apud Ughellium chronologia horum Praesulum: nam ille suo Actio II. annos assignat à 1041. ad 1044. Opizoni verò, sive Opitio (ut in quibusdam documentis vocatur) ab anno 1044. ad 1063. quem supremum fuisse arbitratur ipsius Opizonis, cum ante 4. fermè annos, scilicet anno 1059. (seu 1060. Pisano) obierit, nam licet mense Februario dicti anni in vivis adhuc esset, ut ex quodam monumento apparet, tamen ejusdem anni. documentum aliud *nonis Octobris* ipsum jam mortuum supponit, *indictione tertiadecima*, a Septembri mutata; nam eo die quidam *Lanfredi filius b. m. Angeldi & Carabellilla filia b. m. Albitt jugales* quasdam terras Ecclesiae S. Mariae largiuntur *pro remedio anime Oppitionis Episcopus Pisense*, cujus forte consanguinei erant. Anno autem 1062. Pisano (adeoque 1061. Romano) *decimo octavo Kalendas Septembris indictione quartadecima* memoratur jam Wido Episcopus ejus nominis verè secundus, patria Papiensis, ejusdem Opizonis successor.

Sed digressioni jam nimis prolixae modus aliquis est imponendus, cui ab aequo Lectore sincerae veritatis amante veniam saltem dandam esse confido, sin minus gratiam habendam, quam sanè ab illis, qui praejudicatis opinionibus suis nimis adhaerent, minime spero: paratus tamen & illos, quos praetermisi Praesules, sive ab Ughellio, sive ab aliis commemoratos, sive aliunde eruendos, ubi vetera omnia monumenta expendere, quae huc facere possunt, per otium licuerit, ambabus, ut ajunt, ulnis amplecti, si eorum memoria ex idoneis documentis aliquando innotescat.

(f) Du-

(f) Dubitavi, an *Vasio* invasionem hoc loco significaret, an potius vadimonium, sive hypothecam, aut quid simile; nam infra habetur; *ostendisti mihi casa &c. sicut mihi tu vuadiam dedisti.*

(g) In legibus etiam Romanis, ut *C. de praescrpt. triginta vel quadrag. annor.* nedum in Langobardicis, puta in Legibus Liutprandi *lib. 6. cap.* 1. & antea in *lege* 4. Grimoaldi Regis, id cavetur, ut possessio praescriptione triginta annorum confirmata, convelli nequeat, sed stabilis, & firma permaneat.

(h) Indictio sexta nec anno octavo, nec octavo decimo Ludovici Pii respondet, ut supra ad notam (*b*) ostendimus; sed nec ad decimum octavum Ludovici II. aptari potest, sed tantum octavo ejus anno, scilicet 858. is enim anno 850. die 2. Decembris a Leone IV. Pontifice fuerat Imperatoria Corona decoratus, cùm in Regem Italiae anno 844. dumtaxat inunctus fuisset à Sergio II. Papa, ipsomet Joanne Pisano Episcopo, de quo in hoc documento sermo est, cum aliis adstante, ut Anastasius Bibliothecarius memoriae prodidit.

Num. III.

Judicium aliud nonnullorum Episcoporum in eadem controversia Ecclesiarum Aretinae, & Senensis.

„ Ex Transumpto ejusdem Archivi S. Benedicti Aretii

Latum anno 1029.

IN Nomine Domini Dei eterni Salvatoris nostri Jesu Xpi. Dum ex jussione Domni Johannis (*a*) Apostolici & universalis Pape conjunxissemus nos Domnus Benedictus Portuensis Ecclesie Episcopus & Sancte Sedis Apocrisiarius (*b*) & Domnus Petrus (*c*) Castri Felicitatis, & Gonfredus (*d*) Volateren Episcopi apud plebem S. Marcellini qualiter nos Deo adjuvante canonice diffiniremus intentionem plebium quas Aretina Ecclesia detinet in Senensi Comitatu de quibus Leo [*e*] Senensis Episcopus in Synodo proclamavit, representavit se Domnus Theobaldus (*f*) Aretine Sedis Episcopus cum Petro Plebitano (*g*) S. Pe-

(*g*) S. Petri in Pava & cum Raifredo S. Marie in Salso & cum Petro S. Agathe in Sciffiano & Rainaldo S. Viti in Corfignano & cum Lioperto & Bonizone S. Johannis in Vefcona Johanne & Barocio S. Viti in Verfuris & cum Donato & Martino S. Marie in Pacina & cum Purizone & Liuzone S. Victoris & cum Petro S. Quirici in Auxenna & Adamo S. Marci in Confona & Liuzone S. Andree in Malcinis Religiofis Plebitanis & cum nobilibus Vaffis (*h*) ejufdem Aretine Ecclefie ideft cum Hubaldo filio Ildizonis Ildibrando & Rodulfo filiis item Rodulfi & cum Rainerio filio Ildibrandi Gottizone filio Gottizonis Urfone filio Griffonis Griffone & Saffone filiis Ildebrandi & Everardo filio Uvalcapi Rolando filio Benzonis & Ranerio filio Uvillelmi & Rainerio filio item Rainerii de Doffena & cum Judicibus Urfone Anfelmo Alberto Johanne Sigisfredo & Arnulfo & ceteris compluribus Clericis ac Laycis Domni Apoftolici decretum & fynodalia precepta complere paratus ideft fines fue Ecclefie diecefis oftendere, & poffeffionem Ecclefiafticam, & mundanam ad partem Sancte Aretine Ecclefie jurare adftantibus Ardingo & Walfredo Comitibus. Predicti verò Reverentiffimi Epifcopi & Comites videntes prefatum domnum Theodaldum Epifcopum cum fuis Presbiteris ac Laycis preceptum Apoftolicum implere paratum dixerunt. Si vobis placet inquiratur fi Domnus Leo Epifcopus hoc recipere voluerit. Ad quod inquirendum predicti Epifcopi cum irent directi funt a Domno Theodaldo Epifcopo & fupradicti judices & fue Ecclefie Archidiaconus qui audirent quid prefatus Leo Epifcopus refponderet Epifcopis & Comitibus & fibi veraciter cuncta que diceret referrent. Qui vero que dixit audierant & infuper Viventius [*i*] Archidiaconus vice Domni Theodaldi fui Epifcopi per prefatos prefules & Comites invitavit eum ut diecefis fines videret & Sacramento canonice & legalis poffeffionis fecundum quod preceperat Domnus Apoftolicus reciperet. Qui penitus hoc recipere . . . . in hoc fpreto Apoftolico & fynodali decreto. Quod viden-

videntes predicti Episcopi & Comites & qui a Domno Theobaldo Episcopo sunt directi reversi que audierunt retulerunt scilicet quod ipse Leo Epicopus nec fines diecesis Aretine Ecclesie videre neque Sacramenta audire voluisset. Tum Domnus Petrus S. Quirici Archipresbiter & Aretine Canonice Prepositus (*k*) ante omnes Archipresbiteros Evangeliorum librum coram se habens, talem prorupit in vocem. Cum semper in mente mea proposuissem numquam in vita mea Sacramentum facere tamen quia scio me verum jurare & in hoc non offendere hoc juro quod Aretina Ecclesia semper illas plebes tenuit ab eo tempore quo natus fui & Ecclesiasticam obedientiam Aretine Ecclesie facere vidi. Item ceteri Archipresbiteri dixere secundum quod & Avi nostri dixere Patribus nostris & Patres nostri dixere nobis & nos qui jam Senes sumus neque ab his audivimus quod illas plebes aliquo in tempore a centum annis & supra Senensis Ecclesia teneret sed Sancta Aretina Ecclesia tenuit & omnem Ecclesiasticam obedientiam a nobis & a Patribus nostris habuit & hoc sumus jurare parati. Postea Ubaldus Aretine Ecclesie nobilis Vassus cum Ildiprando Rodulfo Griffone Saffone Rainerio Heverardo Gottizone Rollando Ursone itemque Rainerio sibi similibus & predicte Aretine Ecclesie nobilibus Vassis accepto Evangeliorum libro professus est se jurare canonicam & mundanam possessionem ad partem Sancte Aretine Ecclesie. Episcopi autem hoc cernentes dixere. Nos vidimus quia vos preparati estis, sed nos non recipimus quia Senensis Episcopus recipere non vult. Nos tamen hec omnia Domno Apostolico debemus renunciare & Deo favente renunciabimus. Ipse cum suis Episcopis Deo Auctore inveniat qualiter Aretina Ecclesia ut semper tenuit teneat & supradictus Leo Episcopus suique successores in perpetuum exinde sileant. Quia hec omnia vidimus & ut hec nos vidisse credatur manu nostra subscripsimus. Hoc autem factum est anno Dominice Incarnationis mille vigesimo nono regnante Currado [*l*] Imperatore piissimo anno Imperii ejus tertio mense mayo Indictione duodecima.

Ego

Ego Benedictus Portuensis Episcopus & Apocrisiarius Sancte Apostolice Sedis hec omnia vidi & pro defensione Sancte Aretine Ecclesie scribi jussi & manu mea inferius scripsi.

Ego Petrus Castellanensis (*m*) Episcopus interfui ut supra.

Ego Gonfredus Volaterrensis Episcopus missus a Domnò Apostolico interfui & subscripsi.

Albertus Judex Domni Imperatoris scripsit hec ac fideliter adnotavit.

NOTAE.

(*a*) Joannes hic ejus nominis XIX. Ecclesiam rexit ab anno 1024. ad 1032.

(*b*) Benedictus hic dictus de Pontio subscribit cuidam diplomati Benedicti VIII. Papae anno 1019. à Joanne XIX. privilegium quoddam accepit ab Ughello relatum, sed corrupto indictionis numero, nam tertia indictio ibi notata in nullum ejus Pontificatus annum cadit. Idem subscribit ipsius Joannis. XIX. privilegio ad favorem Ecclesiae Sylvae Candidae dato anno 1026. seque Bibliothecarium S. R. E. nominat & vice Peregrini Coloniensis Archiepiscopi subscribit, uti Abbas Lucentius animadvertit. Se verò S. Sedis *Apocrisiarium* hic nominat, sive quod missus speciatim tum esset, ac delegatus Summi Pontificis ad hanc causam discutiendam, sive quia Cancellarii munus gereret: huic enim pariter Officio titulum Apocrisiarii convenire animadvertit Du-Cangius.

(*c*) Inter Ostienses Episcopos ab anno 1026. ad 1036. Petrum vixisse constat ex Ughellio; quare, si conjectura subsistit ad notam (*p*) documenti sub num. I. allata, hic ipse Castri Felicitatis Episcopus dici potuit; sed vide adhuc infra ad notam (*m*).

(*d*) Ughellius Gaufridum vocat, qui & Gottefridus dicitur in Romana Synodo in causa Andreae Perusini Episcopi habita anno 1036. sed Gumfredus nominatur in Privilegio Guidonis Episcopi Volaterrani concesso Abbatiae nostrae SS. Justi & Clementis, quam ejus praedecessor Gumfredus aedificaverat, pastorali Baculo situm designans. Vide Fortunium *part.* 2. *l.* 2. *c.* 5.

(*e*) Ab Ughellio creditur hic Leo ad Senensem Cathedram evectus anno 1031. sed optimè animadvertit eruditiss. Benevolentius, jam inde ab anno 1027. illum sedere coepisse; id quod ex praesenti quoque diplomatè confirmatur. (*f*) Ab

(*f*) Ab anno 1013. ad 1037. sedisse in Aretinae Ecclesiae Cathedra Theobaldum Bonifacii Marchionis Hetruriae fratrem, certissimis documentis constat: successit autem, non Helimperto, nec Alberto (ut Ughellus, Ammiratus, Lucentius prodidere) sed Guillelmo, cujus donatio mense Junio anno 1013. Indictione XI. facta Monasterio S. Mariae de Pratalia, pro anima Elimperti Episcopi, extat in Archivo Camaldulensi Fontis Boni.

(*g*) Idest Plebis Rectore, seu Plebano.

(*h*) Vassalli, seu Feudatarii, qui Feuda Ecclesiae possidebant, atque in illis pro Domino Episcopo justitiam administrabant.

(*i*) Subscribit hic ipse Viventius celebri privilegio Theodaldi Episcopi Camaldulensibus concesso anno 1027. per haec verba *Ego Viventius Archidiaconus SS.*

(*k*) Hic pariter eidem Privilegio ante Archidiaconum Viventium subscribit in haec verba: *Ego Petrus Presbiter Canonicorum Prepositus SS.*

(*l*) Coronatus fuit Conradus in Imperatorem ab Joanne XIX. Pontifice 7. Kal. Aprilis 1027. in die sancto Paschae. Imperavit usque ad 1039.

(*m*) Idest *Castelli S. Felicitatis*: Sive is idem cum Ostiensi Episcopo fuerit, sive peculiaris Sedis in eo Castro tunc positae Praesul, ut in priori documento ad notam (*p*) docuimus. Verùm haec subscriptio aliam nobis conjecturam subministrat an non Civitatis Castellanae fortasse Episcopus hic censendus, quae Sedes jam tum Falaritanae conjuncta erat: nam *Benedictus S. Falaritane & Castellane* Episcopus subscribit Privilegio anni 1033. Benedicti IX. ad favorem Ecclesiae Sylvae Candidae apud Ughellum. Sed cur Castrum Felicitatis, aut S. Felicitatis Sedes illa diceretur? In Archivo Fontis Boni habetur Privilegium Benedicti VIII. Papae cum sigillo plumbeo pendente datum anno secundo Mense Decembris indictione duodecima, quo bona quaedam concedit Roderico Abbati, qui Bonizo vocabatur Monasterii S. Sepulchri, & SS. quatuor Evangelistarum in Castro S. Felicitatis in loco *Nocceti*. Verum hac de Re alii inquirant.

Num.

pulis suis due de purpuree [y] & alia de pallio & tres corporales de pallio valde optimo. Unum corporale de ipsis tribus est de brusco deaurato [z] valente solidos XX. quem fecit Leo Papa quartus Romanus [aa] & habet in se depicta imago Salvatoris nostri de brusco & ex una parte imago Sancti Petri Apostoli & ex alia parte Sancti Joannis Evangeliste & unum pluviale de purpura & alium de pallio valde bonum. Quando veni in ipsum locum non legebatur in ipsa Ecclesia per totum fere annum nisi Epistole & Evangelia quia non habebatur nisi unum missale. Nunc autem scitote quomodo melioratus est de libris ipsum locum. Sermonum liber unus quem ego scripsi solus cum Priore meo [bb] sicut habetur domui Sancte Marie [cc] valde optimus. Liber historiarum unus ubi continetur quidquid in Sancta Ecclesia pertinet ad legendum per totum annum. Textum Evangeliorum unum valde optime scriptus cum tabule de argento valde bone. Passionarium unum novum ubi sunt omnes passiones Ecclesiastice. Tractatum super Genesis S. Augustini liber unus Dialogorum liber unus. Moralium Job liber unus. Summum bonum liber unus. Diadema liber unus. Paradisi liber unus. Glossarum liber unus [dd]. Canones liber unus. Sancti Benedicti Regula liber unus. Pastorale liber unus. Antiphonarii VIII. quinque diurnales, tres nocturnales. Liber BIBLIOTECE novum [ee] quod est comparatum libras decem. Missales quinque. Unum Missale valde optimum, quod semper in arca manebit valentem solidos C. Super Ezechiel liber unus. Libri psalmorum valde optimi V. quot sunt insuper totum numero XXXIV. Quando veni in ipsa Ecclesia non inveni nisi unum calicem de stagno. Modo autem cum auxilio Domini habentur ibi calices IIII. Unum de auro valde bonus & habet uncias XI. Alius de argento major & habet libras III. & med. alii duo habentes in se lib. unam de argento per unumquemque. Quando veni in ipsum locum non inveni nisi unam parvam domum & postquam cepi commorari cum meis Monachis feci levare mansiones ibidem novas, & post decem

annos

annos disrumpebantur ipse mansiones quas feci quoniam erant de ligno de mala generatione hoc est fuere de cerro. Et dejeci ipse mansiones a fundamentis. Et hedificavi alias mansiones de lignis castanietis quas venire feci per mare de Luni. Et nunc post multum tempus comparavi da Errigo filio Eritii [*ff*] terram ubi nunc ipsum monasterium consistit & dedi in ipsa terra libras XLII. & post hec hedificavi ipsam domum a petra & calcina ubi sunt omnes officine sicut Abbatia habere debet & est tam perfecta domus ut in tota marcha melior non est [*gg*] cum columnas quas de insula Ilba & de Luni adduci feci. Et hoc sciatis quia quando veni in ipsum locum non dedit amplius terre Stefanus in offersionem in ipsa Ecclesia nisi stariorum sex in loco sejo de valde mala & stariorum XXIIII. ad tramarice & similiter mala. Nunc audite qualiter adjuvante Domino amplificatus est locus ipse de bona terra. Habet Monasterium Sancti Michaelis modo DC. stariorum de terra. Dedimus nos pretium in ipsa terra quod nobis Dominus dedit magnam partem videlicet libras C. valde modice minus & de alie terre cantavimus & promisimus ad ipsos parentes que in ipsum locum dari fecerunt in manibus (*hh*) nostris multe Misse decantari. Cui mille cui quingente, cui trecente, cui centum & adjutorium & consilium habuimus in aliquantulum de nostris Senioribus [*ii*]. Et dedit Albertus de Acuto in ipsum locum curtem unam in Corsica [*kk*] propter amorem & servitium quod ego misi in ipsum Albertum quando infantulus erat & propter amorem & servitium quod fecit Joannes nepoti meo ad praedicto Alberto & promisi dare predicto Johanni servitium X. libr. me adjuvaret & non tulit mihi propter meum amorem nisi solid. XX. & fecit mihi dare hanc curtem & detinet ipsam Curtem inter montes & colles & planities & agros sistariorum innumerabiles. Hoc est malum quod ego feci [*ll*] cum monachis meis per annos XXX. [*mm*] in ipsum locum. & non vobis abscondam verecundiam meam. quoniam quando inchoavi habitare in eodem loco tam pauper erat locus in duobus annis

non habui nisi unam staminean [nn] per annum & tempore estatis in meridie quando dormire pergebam ipsam stamineam ad lavandum dabam & quando surgebam praedicta lota staminea induebar. Et numquam habui equum sicut ceteri Abbates habent & etiam viles Monachi. Sed si necesse erat in silva ambulare aut in aliquo loco pedibus meis ambulabam & non duplicia vestimenta desideravi sed quando novum induebar neque per Pascha neque per Natalem alium mutavi usque dum scinderetur quia consideravi paupertatem loci ut cum debito non maneret. Et multa alia feci que commemorare longum est [oo] .... argenteum & alium ereum quando elongavi Ecclesiam Sancti Michaelis [pp] expendi in ipsa Ecclesia solidos mille sine pane & sine vino & sine carne & sine pisces. Omnia ista expensaria in breve habentur scripta.

NOTAE.

[a] Ita ad hanc diem vocatur, & via ipsa, cui respondet, *Burgum* dicitur, licèt in meditullio Civitatis nunc resideat: antiquitus enim via illa *Suburbium* erat, ipsumque monasterium *extra portam Samuelis* situm passim describitur in vetustis omnibus monumentis ejus Monasterii, aut *hedificatum in fore porta in Burgo* vel *situm Pisis fori porte* (quandoque tamèn simplici vocabulo *S. Michaelis in Burgo*, aut *de Burgo*) nominatur usque ad annum 1193. quemadmodum & Ecclesiae S. Petri in Vincula, S. Matthaei, & S. Andreae pariter extra portam recensentur; nam usque dumtaxat ad D. Felicis Ecclesiam Civitatis ambitus protendebatur.

[b] In Menologio Benedictino Gabrielis Bucellini aequè ac in Hagiologio nostro Camaldulensi ad diem 3. Julii, ejus, ut Beati mentio occurrit, qualis & in historiis Camaldulensibus, & in Tabulis omnibus, seù catalogis Sanctorum Ordinis nostri, & in Pisanis etiam Chronicis passim celebratur. In ultima hujus Monasterii restauratione, è regione Praecipuae Januae vetusta ipsius effigies à nobis collocata est, cum Epigraphe: *secundum nomen tuum, ita & laus tua. Psal.* 47. subjecta hac inscriptione

B. BONO

B. BONO PISANO
HUJUS MONASTERII ANNO MXVIII. FUNDATORI
EJUSDEMQUE PER XXX. ANNOS ABBATI
D. GUIDO GRANDUS ABBAS S. T. D.
COENOBIO POST VII. SAECULA RESTAURATO
ANTECESSORI BENEFICENTISSIMO
MONUM. HOC POSUIT ANNO MDCCXVIII.

[c] Habebatur *Capsula a num.* 47. juxta veterem Archivi dispositionem, a D. Mauro Cursio Abbate, mox Episcopo Miniatensi, olim factam. Nunc juxta Chronologiae ordinem chartas omnes per annorum decades distinguere placuit. Secutus autem sum in hac editione exemplar ipsius Cursii Abbatis manu exscriptum: nam autographum olim à nobis visum consulere in praesenti non licuit.

[d] Senior hic Stephanus intelligendus est aliquis ex Primoribus Civitatis, qui *Seniores*, & adhuc vulgò *i Signori*, appellari solent, quasi Senatores; nam, ut canit Ovidius in Fastis.

A senibus nomen mite Senatus habet

quo eodem sensu Seniores accipit infra ad notam [*ii*] ut videbimus.

[e] Fortunius noster *part.* 2. *lib.* 2. *cap.* 9. putavit, cognomentum, Stephani ipsius familiam designans, hoc loco exprimi. Troncius quoque *in MSS. memor. Eccles. Pisan*, ac libro *de SS & BB. Pisan*, itemque Petrus Cardosus *in Vitis SS. Pis.* aliique, nescio quam *Nonantulorum* familiam Pisanam nobilissimam, quae jam extincta sit, olim floruisse fingunt, ex qua tamen Stephanum hunc dumtaxat indicare possunt. Sed usque dum aliunde ignota Gens haec manebit, praeferenda utique est interpretatio Mabillonii, qui in Annalibus Benedictinis ad annum 1040. hujus Chartae fragmentum referens, intelligit *de Nonantulis*, hoc est *ex Nonantulano celebri Monasterio* vocatum à Stephano Bonum Monachum: & sanè, nisi id dicatur, imperfectus, & mancus erit verborum sensus, deficiente, ut ajunt, termino *a quo*, unde *fecit venire* Stephanus Sanctum Virum. Observo tamen, a Mabillonio praefigi dicto fragmento hanc Rubricam: *Breve recordationis, quod fecit Bonus Abbas Sancti Michaelis Monasterii à Monachis Nonantulae fundati*; quam unde habuerit, nescio; in Autographo ipso certè numquam extitit, quae si olim talis fuisset, nulla aequivocationis ansa data esset Fortunio, aliisque, hanc *Nonantulorum* familiam comminiscendi. Extra omnem dubitationem tamen veram existimo Rubricam illam, undecunque sumptam,

 & for-

& forte ab ipsomet Mabillonio fabricatam. Unde in Vita hujus B. Boni *cap.* 2. dixi: Bonum ipsum Nonantulae anno 1005. Monasticum habitum induisse per manus Rodulphi Abbatis, qui ab anno 1002. ad 1036. illi Monasterio praefuit. Quod si à nonnullis B. Bonus S. Romualdi fuisse discipulus creditur, quos inter Antonius Conforti Pisanus Presbiter id memoriae testatum reliquit anno 1604. id deducens, ex quo quidam Bonus discipulus S. Romualdi Abbas Classensis existeret anno 1037. exigui in primis momenti est illa auctoritas, quippe ea in re bonus Vir utique fallitur, nam anno quidem 1037. Lambertus Abbas Classensibus praeerat, ut ex privilegio Conradi II. Caesaris illi concesso 15. Kal. Maii dicto anno, constat: Bonus autem discipulus S. Romualdi anno 1020. 7. Kal. Maii ab Henrico II. confirmationem Privilegiorum sui Monasterii Classensis impetravit, quo tempore jam Bonus noster aedificationi Pisani hujus Monasterii S. Michaelis incumbebat, ejusque mentio in variis Archivi nostri Contractibus anni 1024. 15. Augusti Indictione 7. manu Vidi Notarii, & 1027. XV. Kal. Junii Indic. 10. manu Joannis Notarii, & 1030. [seu 1031. ut charta exprimit, more scilicet Pisano] 14. Augusti indictione 13. manu Alcherii Notarii; & 1041. de XVIII. Martii Indictione 9. manu Vidi Notarii; & 1046. die XXVII Februarii Indictione 14. manu Leonis Notarii; & eodem anno (quem Pisano more 1047. consignatum exhibet charta) die XXII. Maii, indictione pariter 14. manu Lamberti Notarii; Ut planè non videam, quando Bonus hic noster Classensem Abbatiam administrare potuerit. Deinde, etiam si Nonantulae B. Bonus Monasticis se legibus adstrinxerit, non ideò à S. Romualdi instituto alienus censendus est; nam ut *cap.* 2. *Vitae B. Boni* animadverti, postquam in eo Monasterio die 26. Augusti interfectus est Martinus Diaconus Sacri loci Praepositus anno 13. regiminis Joannis Graeci Abbatis, idest anno 985. Romualdus Monasticae disciplinae fervidus zelator, jussu Joannis XV. Summi Pontificis & Othonis III. rogatu Leonem Discipulum suum Nonantulam direxit, qui Regularis Observantiae restaurationem inibi promoveret. Is coenobii regimen adeptus, brevi quidem religiosam disciplinam restituit, at post biennium, amissae quietis recuperandae studio incensus Abbatiam Othoni resignavit, & ad Monasterium S. Bonifacii Romae, ubi & alii Discipuli S. Romualdi floruere, se recepit, ubi & sanctitate clarus obiit, ut Petrus Damiani narrat in epistola ad Nicolaum Papam, succedente illi Leone alio Abbate, qui mox Ravennae Archiepiscopus ordinatus est, & egregiam illam Epistolam *ad Durantem Monachum, vel caeteros, qui cum eo sunt Eremitas* perscripsit, quae apud Ughellum *tom.* 3.

Ital. Sac.

Ital. Sac. legitur. Huic ergo subrogatus est in Monasterii regimine quidam Joannes Abbas, & post biennium Rodulphus, à quo Bonum nostrum monasticis disciplinis imbutum fuisse diximus.

[*f*] Hic quoque Petrus B. Boni Avunculus Monachus erat Nonantulanus, a B. Leone Abbate regularibus institutis optimè imbutus, qui & Nonantulae, & Pisis, Nepotis sui Boni sanctissimis desideriis promovendis indefessus adjutor extitit, Nonantulam deinde reversus, post diuturnam monasticam conversationem in desertum Avellanensis solitudinis nostrae à Spiritu Sancto deductus est; de quo Petrus Damianus *tom.* 1. *lib.* 2. *Ep.* 14. sic habet. *Venerabilis Senex Petrus Sacerdos, & Monachus, qui jam septuaginta fermè annos sub jure Nonantulani Monasterii religiosè vixit, nunc etiam in hac Eremo vitam ducit angelicam*. Ejusdem meminit *lib* 6. *Ep.* 30. Idemque esse videtur cum Petro Monacho, cujus mentio est in vita S. Petri Damiani *cap.* 19. Ejus memoria in Hagiologio nostro recolitur ad diem 12. Aprilis. Sunt tamen qui Petrum hunc Avunculum B. Boni confundant cum Petro Moriconio Pisano Archiepiscopo: ita ferunt Commentaria quaedam Pisana MSS. sed ratio temporum obstat, nam Petrus ille obiit anno 1120. adeoque tempore aedificationis hujus Coenobii nondum natus erat.

[*g*] Idest fabricam suis sumptibus promovere; nec enim per se ipsum laborasse censendus est Vir civitatis primarius.

[*h*] & [*i*] & [*k*] Membrana corrosa etiam ab anno 1636., ut patet ex transumpto manu Abbatis Cursii descripto, ubi eadem lacuna triplex hoc loco apparet.

[*l*] Patet hinc, B. Bonum revera Pisanum fuisse, dum Pisas *nostram Civitatem* vocat; quod & infra repetit ad notam (*n*) *ambulavi per Civitatem nostram*; itaque cessat Viri doctissimi conjectura, qui *Mutinensem* illum praesumebat, ex quo Nonantulani Coenobii Monachum fuisse constet.

[*m*] Itaque *turris*, de qua supra, non erat ad usum Aeris Campani erecta, sed hoc loco aedificium quadratis lapidibus constructum robusta molitione altius evectum significat, quales passim Turres vetustis palatiis Pisanorum Procerum adhaerentes, vel earum saltem vestigia, passim ad hanc diem conspiciuntur. Unde intelliges, cur supra dictum sit *& edificavi in ipsa turre Ecclesiam*; quod de Turri campanaria minus congruè diceretur.

[*n*] Vide dicta ad notam (*l*)

[*o*] Sunt, qui putent Dominicum hunc ipsas Campanas fudisse, ac propriis manibus conflasse; sed ejus artis professorem non agnosco. Satis est, si id curae in se susceperit, ut ab idoneo artifice conflandas curaret, ac pecuniam hinc inde à benefica Pisa-

norum caritate colligeret, in earum pretium erogandas.

[p] Exemplari à D. Cursio Abbate MSS. aliena manu adjectum hic erat *S. Leonis & S. Rustici*; sed Monasterium S. Zenonis alium titulum gessisse non constat; fuit autem Camaldulensis Ordinis aequè ac illud S. Michaelis, ibique adhuc visitur marmoreum sepulchrum Benedicti de Forolivio Generalis totius ejusdem Ordinis.

[q] [r] Erosum utrobique autographum etiam tempore D. Mauri Cursii Abbatis.

[s] Praefuit Ecclesiae Pisane Opizo ab anno 1044. ad 1063. juxta Ughellium. Perperam verò ex hoc loco arguunt nonnulli cum D. G. F. *pag.* 122. *Chron. Ang.* Pisanum Episcopum consuevisse solemnioribus diebus ad S. Michaelis templum Missas concinere. Nil enim aliud innuere contendit hoc loco B. Bonus, quàm sacras illas vestres adeo magnificas, & condecentes fuisse, ut neque Opizonem Episcopum iis uti dedecuisset in majoribus etiam Solemnitatibus, in sua tamen Ecclesia majori, quae *Domus S. Mariae* dicebatur.

[t] Pallium dicuntur Panni serici magis pretiosi, vide Glossarium Du-Cange; Nunc etiam *Pallium* vocari vulgò consuevit Serici Panni aulaeum, seu bravium, quod praemii loco proponitur Equis cursoribus.

[u] De solidis in duodecim denarios, ut nunc, ita dudum distinctis eruditè agit Cl. Valsecchius, *De vet. Pis. Const. pag.* 41. Expressum id clarè invenio in contractu quodam emphytheotico nostri Archivi, quo Ildebrandus Abbas S. Michaelis concedit quandam terram Guidoni, Ugoni, & Vincentio filiis Balduini, mensurae unius Scalae, & dimidiae dumtaxat, censum imponens: *denariorum bonorum monete Lucensium expendibilium numero solidos sex, duodecim denarios per singulos solidos rationatos*. Actum anno 1143. XVII. Kal. Aprilis Indictione 6. manu Gerardi Apostolicae Sedis Notarii. Caeterum Pisana moneta promiscuè cum Lucensi nominatur in charta alia ejusdem Archivi venditionis cujusdam terrae *per mensuram staiora due & panora due & quarta parte de uno panorum* cujus pretium statuerunt *bonorum denariorum monete Lucensis vel Pisane solidos nonaginta* Actum 1161. IV. Nonas Februarii Indict. 9 manu Guntulini Notarii domni Imperatoris. Et in alia rursus charta ejusdem Archivi, qua Gerardus Abbas S. Michaelis emit a Baldiccione, & Jolicta jugalibus *novem panora minus quarta* cujusdam terrae, id factum dicitur, recipiendo *nomine certi pretii solidos quatuordecim bonorum denariorum Pisane vel Lucensis monete*. Actum anno 1163. more Pisano, quinto Kal. Januar. indict. XI. manu Marignani Notarii Domni Federici Imper. In alia verò pagina

anno

anni 1165. Stylo Pisano IX. Kal. Novemb. Indict. 13. Inghirada & Bona ac Mingarda & Francisca vendunt Burgo Syndico, & Procuratori S. Michaelis terram, cujus mensura *stariora sex minus panora duo* recipiendo *nomine certi pretii libras novem bonorum denariorum nostre monete*. Actum manu ejusdem Marignani Judicis. Et anno 1173. item Pisano III. nonas Maii Indictione V. Fulcherius, & Bella jugales vendunt Licignano *Fratri hospitali Sancti Michaelis de Burgo positi Pisis in porta S. Felicis juxta Ecclesiam S. Laurentii de Rivolta* domum quandam, pro qua fatentur se recepisse *nomine certi pretii libras novem bonorum denariorum nostre nunc currentis monete*. Manu ejusdem Marignani Judicis & Notarii. Eadem phrasi anno 1173. prid. Idus Martii Indictione sexta Gualandus tutor Guidonis & Ugolini, *sub decreto & auctoritate Cenni & Rodulfi publicorum Pisanorum Judicum & Turebii justitie consulis pro debito paterno solvendo &c.* vendidit Rubertino quamdam terram *positam Pisis foris Porte in Spina prope Ecclesiam Sancti Silvestri*, cujus mensura erat *due partes unius Scale* recipiendo *nomine certi pretii solidos triginta & tres & denarios quatuor bonorum denariorum nostre nunc currentis monete*. Actum manu ejusdem Marignani judicis, & Guinibaldi notarii. Item anno juxta Pisanos 1180. indictione 13. prid. Kal. Octobris idem Ribaldinus à Justo, & Romeo fratribus emit scalas novem terrae olivis consitae solidis XXXVII. *bonorum denariorum monete nostre nunc currentis* manu Bernardi Notarii. Similiter anno 1180. Vivianus & Vopa jugales vendunt Ubertello & Riccobaldo terras quasdam, exigentes *nomine certi pretii libras quatuor & solidos duodecim bonorum denariorum nostre Pisane currentis monete*. Actum manu Idelbrandi de Usiliano. Innumera alia exempla omitto, tempore conventionis initae Pisanos inter, & Lucenses, à Cl. Valsechio relatae posteriora. Unum addo, quod est anni 1191. XI. Kal. Aprilis Indictione 9. ubi, nondum expleto decennio a dicta conventione, fit mentio veteris Pisanae monetae. Nam Pancaldus Vicecomes quondam Alberti Vicecomitis, cum Jolectina conjuge vendidit Pisano tunc Hospitalario S Laurentii de Rivolta quasdam terras, recipiendo *nomine certi pretii libras triginta & una & solidos septem & denarios novem bonorum denariorum Pisane monete veteris*. Actum manu Guinibaldi Judicis & Notarii Quo ex loco obiter constat, tunc denarios singulos excusos fuisse, ut numero 9. haberi possent: quemadmodum & ex alia pagina constat, numeratos olim fuisse *denarios septem*.

Videre tamen mihi videor in exemplis allatis, multò majorem, quàm nunc vigeat, solidorum, atque adeo & librae valorem, si cum quantitate rerum venditarum, ac praesenti earum pretio comparemus: ac conjicio, solidos illos, ac denarios *argenteos esse*; id quod

id quod aliquando expreſſum invenio in veteribus chartis: nempe anno 1018. V. idus Martii Indictione prima Sindrada mulier Joannis filii Stephani vendit Joanni filio b. m. item Joannis portionem ſuam de quibuſdam terris, *pro quibus*, inquit *ad te pretium recepi argentum ſalidos viginti in prefinito*. Actum manu Lamberti Notarii Domni Imperatoris. Similiter anno 1033. Piſano pridie kal. Auguſti Indictione XV. Adamus filius b. m. Petri vendit Gosberto Judici Domni Jmperatoris *qui & Bonifio vocatur filio b. m. Johanni qui fuit Judex Domni Imperatoris qui & Lambertus vocabatur* quamdam terram cum horto, recipiens pro pretio *arientum ſolidos quadraginta & quinque in prefinito*; manu Ildebrandi Notarii. Anno autem 1037. VIII. Idus Januarii indictione V. Leo filius b. m. Joannis ab Henrico filio b. m. Stephani recipit terram quamdam in emphytheuſim, promittens annuum cenſum *arientum denarios bonis & expendibilis monete tres ſolidos*. Rogavit ..... *ivado Notarius Domni Imperatoris*. Rurſus anno 1046. III. kal. Martii indictione XIV. Eritius filius b. m. Henrici concedit in emphytheuſim Bono Abbati S. Michaelis terras quaſdam *menſuratas a legitimo pede qui dicitur Liuprandi Regis*, quarum annuus cenſus *arientum denarios bonis expendibilibus de moneta de Luca numerus duo tantum*, manu Leonis Notarii Domni Imperatoris. Anno 1057. Piſano Nonis Decembris Indictione X. *Uvilia mulier Uvidi & filia b. m. Pipini* vendit Uvido & Pipino dilectis filiis ſuis ex Ruſtico anteriore Viro ſuo quidquid ab ejuſdem Viri anterioris hereditate ſibi obuenerat, recipiens ab illis *argentum denarios ſolidos centum in prefinito*. Manu Alberti Notarii Domni Imperatoris. Anno autem 1058. Piſano XVIII. kal. Januarii indictione XI. Uvido filius b. m. Gherardi à Ruſtico Abbate S. Michaelis in emphytheuſim recipit terram quamdam, promittens annuum cenſum *arientum denarios bonos & expendibiles de moneta de Luca numero quinquaginta*, & ſpondens, caſu deficientis ſolutionis, aut detrimenti ejuſdem terrae *arientum optimum ſolidos centum*. Manu Lamberti Notarii. Tum anno 1058. VI. Idus Januarii indictione XI. Bonius fil. b. m. Ermingarde ab eodem Ruſtico Abbate S. Michaelis recipit terram quamdam in emphytheuſim conſtituens cenſum annuum *arientum denarios bonos expendibilis de moneta de Luca numerum triginta & octo* poena ſimiliter impoſita pro deterioratione, &c. *arientum optimum ſolidos ſexaginta*, manu ejuſdem Lamberti Notarii Domni Imperatoris. Anno quoque 1078. Piſano pridie Kal. Septembris indictione XV. Ugo filius b. m. Bonati à Leone Abbate S. Michaelis terram quamdam in emphytheuſim accipit ſub annuo cenſu, quem ſolvere debebat *arientum denarios bonis expendibilibus de moneta de Luca numeros quadrainta*

tantum

tantum. Actum manu Ildebrandi Notarii Domini Regis. Anno pariter Pisano 1083. VII. Idus Maii indictione V. Telbertus, & Henricus germani, filii quondam Pinelli vendunt Uvalando filio quondam Leti quasdam terras, recipiendo in pretium *argentum denarios per solidos viginti*. Actum manu Rainerii Notarii. Anno rursus 1092. census constituitur annuus solvendus à Bonizone Monacho Uguccioni Comiti pro castello apud Plebem S. Stephani cum quadam terra, *argentum denari duodecim boni & spendibili & non amplius*, ut in Documen. XI. Item An. 1097. Pisano prid. kal. Novembris indictione quinta Augustinus Prior Monasterii nostri S. Frigdiani terras quasdam in emphytheusim concedit Uvidoni Notario, qui censum solveret *arientum denarios bonis expendibilis de moneta de Luca numeros vinti & quatuor*. Actum manu Ottonis Notarii Apostolicae Sedis. Anno verò 1105. Pisano, idibus Decembris indictione 13. Berta donans Monasterio S. Michaelis, cui tunc Petrus Abbas praeerat (idem qui paucos post dies Pisarum Archiepiscopus est renunciatus) quamdam terram, pro cujus evictione ad favorem Monasterii spondet duplum aestimationis ejusdem *& insuper penam arienti optimi solidos sexcentos*, manu ejusdem Ottonis. Anno quoque 1109. X. kal. Augusti Indictione I. Paganus à Joanne Abbate S. Michaelis in emphytheusim accipit terram quamdam, promittens annuum censum *arientum de denarios bonis expendibilis de moneta de Luca numeros septuaginta & due*. Actu manu Folkerii Notarii. Pariformiter anno 1109. Pisano VIII. Idus Septembris Indictione secunda in alio contractu Emphytheotico idem Joannes Abbas terras quasdam concedit, constituens annuum censum *arientum denarios bonis expendibilis de moneta de Luca numero sexaginta & viginti staria de grano bono, &c* apposita poena, ut transgressores solvant *arientum de denariis de Luca bonis expendibilibus solidos centum*. Actum manu ejusdem Folkerii. Et ne in longum abeam, anno Pisano 1138. kalendis Decembris indictione prima, venditio unius sexstarii terrae facta à Seghierio Ciuffi cuidam Bernardo Cacalio pretium exprimit *bonorum denariorum Lucensis monetae expendibilium numerum solidos viginti in prefinito*: Mox in Postscripto ejusdem membranae, manu ejusdem Raynerii Notarii, qui Contractum rogavit, habetur declaratio *idest de argentum solidos viginti bonorum denariorum Lucensium monete expendibilium duodecim denarii per singulos solidos rationatos*, & in fine additur *: ad penam argenti optimi solidos sexaginta ;* ut *in hac ipsa Append Vet. Mon. n. XVIII.* habetur. Aliquando etiam expressam video pretii numerationem *in denariis grossis albis argenti pisane monete* vel etiam *Lucane monete* ut in chartis anni 1239. & 1242. Rainerii & Vidonis Notariorum manu rogatis in nostro Archivo.

Aliud

Aliud majoris pretii Solidorum ejus temporis argumentum, ex quo saepe inveniatur annulus aureus & ingens terrae spatium, aut suppellex non modicae quantitatis, cum paucis solidis comparari; nam anno 1020. idibus Julii indictione tertia *Ugo Vicecomes filio b. m. Gherardi qui fuit Vicecomes* vendit *Urso filio b. m. Ternii* quamdam terram *que est pro mensura ad justa pertica mensuratas sistariorum triginta* recepto pretio *anulo uno de auro per solidos centum presinito*. Actum Lucae manu Ursonis Notarii. Item anno 1105. Pisano nonis Aprilis indictione XII. Villanus, & Guntella jugales vendunt Gherardo filio Uvidi terram cum vinea, recepto in pretium *anulo de auro per solidos nonaginta quinque in presinito*. Manu Folkerii Notarii. Anno pariter 1105. Pisano XV. kal. Januarii Indictione XIII. Ludovicus filius Ughi, & Uvillia filia Balduini jugales vendunt Iventio Priori S. Michaelis (dum Abbas Petrus Romae consecrandus in Archiepiscopum versabatur) quasdam terras *pro quibus*, inquiunt, *merito recepimus da Uvido Clerico S. Michaelis anulo de auro uno pro persona tua qui supra Iventio Prior a part suprascripte Ecclesie per solidos centum quinque, & denarios sex in presinito*. Manu Folcherii Notarii. (Obiter autem hic noto Iventium hunc eundem fortasse censeri posse cum illo, qui a Petro Damiani *opusc.* 34. *alias Ep.* 10. *lib.* 3. cum laude commemoratur, & *Sanctus frater Juventius* dicitur) Rursus anno 1114. Pisano pridie nonas Maii indictione sexta, Ugo filius quondam Actii vendit Bellae filiae quondam Bellucci ancillam suam *nomine Bellulam natam de Insula Corsica*, pretii nomine recipiendo *anulum unum aureum per solidos quadraginta in presinito*. Manu Ildebrandi Notarii Apostolicae Sedis. Quod documentum ob sui elegantiam infra afferemus n. XV. Anno verò 1124. Pisano VIII. kal. Julii indictione prima, Columbanus, & Lanfrancus, & Ildebrandinus Germani, cum Gheppa Genitrice ipsorum vendunt Joanni quamdam terram, recipiendo in pretium *anulo uno aureum per solidos vinti in presinito* Manu Sesmundi Notarii. Anno 1134. III. kal. Februarii indictione XII. *Bernardus Verrucensis Abbas Monasterii S. Angeli de Verruca* vendit *Venerabili Abbati Lodovico Monasterii S. Michaelis de Pisa unam integram petiolam de terra arabilis*, pro qua venditione *pretium*, inquit, *& pecuniam recepi bonorum denariorum Lucensis monete solidos vigintisex, quos in emptione indumentorum meorum fratrum dedi, in presinito*: ubi & evictio promittitur sub poena dupli *& insuper penam argenti optimi solidos sexaginta*. Actum manu Rodulphi Notarii. Demum in Archivo Monasterii Angelorum Florentiae (nam caeteras chartas ex Archivo mei Monasterii S. Michaelis Pisarum laudavi) venditio extat, qua *Bruvictus filius b. m. Uberti de Turre & Gisla jugalis filia Rai-*
nerii

nerii Iderochi vendunt *in Ecclesia & Monasterio Sancti Salvatoris situm pede de monte ubi donnus Teudericus resfidet Prior* quamdam terram cum exigua fylva recipiendo *ab Idelbrando Converso filio Roboris vice prenominati Monasterii emptoris .... inter argentum & alias mobilias pro valente bonorum denariorum Lucensium solidos decem*. Actum Florentiae anno 1145. IV. nonas Julii indictione octava, manu Corbizi Judicis & Notarii: necnon in eodem Archivo alia venditio occurrit anni 1053. (stylo Florentino, idest 1054. communi) Mense Februario Indictione feptima, qua Joannes dictus *Sbendano* vendit Joanni filio b. m. Dominichi quamdam terram prope fluvium *Greve* recipiens, *inter argentum & alias mobilias prevallentes solidos octo finitum pretium*, actum manu Florentii Notarii. Quae omnia si de solidis aereis nunc ufitatis exponas, abfurdam, & ridiculam significationem praeseferent: commodam verò interpretationem habebunt de solidis argenteis expofita, idest vicefimae parti librae argenteae refpondentibus, puta ita ut quilibet antiquus folidus 72. folidis noftratibus aequivaleat: denarius verò fex noftris folidis aequum valorem obtineret: aut potius, denarium femijulio, folidum verò fex juliis fermè refpondiffe, conjicere poffumus.

(x) Quodnam texturae genus effet Caftanea, an taeniis verficoloribus à fummo ad imum deductis conftaret, ut rugas five incifuras Caftaneae cortice fuo nudatae quodammodo imitaretur; an verò ex lana conftaret, extantibus pilis leniter carminatis, internam villofam Superficiem corticis caftaneae referentibus, an ex quacunque materia coalefceret, ob colorem fubfufcum fic appellaretur; an ex Caftanea Theffaliae urbe pannus ille delatus effet? Rei veftiariae Periti decernant.

(y) Non colorem, fed materiam indicat pretiofam; nam & *alba purpura* apud Du-Cange in Gloffario commemoratur; *dedit nobis tres purpuras albas de quibus factae sunt Casula dalmatica, &c.* Inquit Necrologium Ecclefiae Parifienfis *ad XV. Kal. Augusti*.

(z) Vulgo *Broccato d'oro* aut potius *di ricamo d'oro*, fic Benedictus VIII. Altari S. Benedicti Caffini obtulit, inter alia, *stolam optimam aurobrustam* uti habetur *in Bullar. Cass. tom. 1. const. 6.* Item Leo Oftienfis *lib. 2. cap. 43.* commemorat *stolam unam optimam aurobrustam*; in quem locum Clarifs. Angelus de Nuce Archiepifcopus Roffanenfis *auro phrygiatam, sive acu ex auro pictam* exponit.

(aa) Praefuit Ecclefiae Leo IV. ab anno 847. ad 855. Hinc vetuftioris Vitae B. Boni Scriptor fcrupulum ingerit circa tempus, quo vir Sanctus hoc Monafterium fundaverit, putat enim, eucharifticum hoc linteum cum ornamentis harum imaginum opere auriphrygio acu pictarum, donatum fuiffe B. Bono ab ipso-

ipsomet Leone Pontifice: quod nequaquam est necessarium; Tantummodò enim indicat Bonus, illud cura ipsius Leonis IV. olim factum fuisse pro aliqua fortasse Ecclesia Urbis Romae, ex qua illud sibi comparaverit Bonus, cum Romae fuit, pro emendis marmoreis columnis suae Ecclesiae. Scio Clariss. Mabillonium pro antiquitate majori hujus Monasterii arguere *in Annal. Bened. ad annum* 1040. quod S. Gregorius VII. in privilegio, quo Leonem Abbatem decoravit, confirmare videatur privilegium aliud Agapiti II. huic loco, pro libera quorumvis fidelium sepultura, concessum. Verba Privilegii apud Ughellium *tom* 3. *in Arch. Pisan.* sunt, quae sequuntur: *Preterea statuimus, & juxta quod Beatus Papa Agapito Urbis prescripsit, firma protestatione censemus ut nemo fideles Christianos in eodem Monasterio sepeliri cupientes, contradicas &c.* Sed Autoghraphum in hoc archivo servatum habet: *Preterea statuimus ut juxta quod Beatus Papa GG. Agapito urbis vetere prescripsit firma preceptione censemus &c.* Ubi patet, alludere Pontificem ad epistolam XII. libri I. Registri S. Gregorii Magni Papae, Agapito Urbevetano Abbati directam, in qua generatim disponit, ne quis contradicat, fideles in Monasteriis sepeliri; unde cessat scrupulus ab eruditissimo Viro excitatus.

(*bb*) Dominico scilicet, de quo supra.

(*cc*) Idest in Metropolitana Ecclesia, quae S. Mariae Virginis Deiparae Assumptioni dedicata est.

(*dd*) An hoc Glossarium in Sacram Scripturam, an in Civiles, aut Canonicas Leges perscriptum esset, divinare non licet.

(*ee*) Nempe utriusque Testamenti libros complectens volumen. Vide dicta *in notis Epist. nota* 6.

(*ff*) In quodam contractu anni 1046. supra citato memoratur Eritius filius b.m. Henrici Judicis; vel ergo Eritius hoc loco à B. Bono indicatus avus erat Eritii, de quo in illo Contractu, vel lapsu memoriae factum est, ut ordine permutato scripserit *Errigo filio Eritii*, pro *Eritio filio Henrici*, quemadmodum scribere debuerat.

(*gg*) Mirum id videbitur, considerantibus eximia septem Monasteria in Marcha Hetruriae ab Hugone Marchione paulò ante magnificentissimè fundata.

(*hh*) Alia lectio habet. *in animabus nostris*.

(*ii*) Primores Civitatis intelligit, ut supra ad notam [*d*]

(*kk*) Ex tam ampla Curte B. Bono donata in Corsica, nihil jam retinet S. Michaelis Monasterium; Quae enim ibi nunc possidemus amplissima territoria, ad Monasterium S. Mamiliani Insulae Montis Christi Ordinis nostri spectabant, quod huic Monasterio postmodum unitum est.

(*ll*) Ironicè dictum contra suos calumniatores, à quibus conqueritur, se immerentem vexari.

(*mm*) Ita-

(*mm*) Itaque cum ad annum 1048. Breve hoc scriptum fuisse videatur (siquidem sub initium anni 1049. dum Bonus in Corsicam se conferret, ad praedia videnda, quae sibi Albertus de Acuto largitus fuerat, Gorgonam invisit, ubi à Monachis illis Praefecto suo orbatis in Abbatem est cooptatus, indeque Privilegium sibi, & successoribus suis anno 1051. à S. Leone IX. Pontifice impetravit, quod est apud Ughellium *tom. 3. in Arch. Pisan.* ut notat. etiam Cl. Mabillonius) consequens utique est, per annos XXX. regrediendo, quod Monasterii fundatio in annum MXVIII. inciderit, ut supra diximus.

(*nn*) Tunicam laneam interpretati sunt Fortunius, Troncius, Cardosus, aliique: potius *Internlam* exponendam censeo, quae apud Monachos *flaminea* dici consuevit. Consuetudines Cluniacenses S. Udalrici *lib. 3. cap.* 8. de pueris S. Benedicto oblatis decernunt, quod illis *pro flamineo camisia linea datur*. In Constitutionibus verò Hirsaugiensibus S. Uvillelmi Abbatis *lib. 1. cap.* 51. dicitur: *Nullus flamineo exutus verberatur, nisi rebellis esse videatur*.

(*oo*) Desunt hic aliquot lineae in autographo erosae.

(*pp*) Itaque cum esset exiguum S. Michaelis oratorium, sive sacellum, à B. Bono primum in longitudinem, & latitudinem convenientem ampliatum est: ut rideas Auctores nonnullos, qui nescio quod vetustissimum Martis templum hic comminiscuntur, cum Pisana quadam Chronica MSS. & Troncio in libro MSS. Ecclesiarum Pisis existentium, ac Gregorio Farullio; id quod etiam affirmat Dempsterus *Antiquit. Hetr. lib. 5. cap.* 2. dicens: *B. Bonus fundator Conventus D. Michaelis in Burgo Pisis, Monachos enim in eo collocavit templo, quod Marti olim sacrum, hodie antiquitatem insignem loquitur*. Verùm nec ullis monumentis tanta antiquitas colligi potest, nec ipsa structura illam indicare videtur. Imò nec formam servat hoc Templum, nec easdem columnas, quàs B. Bonus Roma deduxerat, &. hic collocaverat. In vetustis enim Monasterii hujus monumentis sic notatum invenio à Domno Bartholomeo dicto Ceo Priore Claustrali anno 1312. sub Andrea Volaterrano Abbate: *Anno MCCXVIIII. post mortem B. Dominici Conversi & Presbiteri dicti Monasterii, Abbas Guido, qui tunc preerat, fundavit, & aedificavit chorum Ecclesiae scilicet frontispicium ex latere Claustri ultra duas partes, & alam sinistram Ecclesię cum columnis & arcubus ipsius lateris, & murum alę ex latere Campanilis, sine tecto relinquens columnas & petras arcuum aptatas pro ipso latere Chori &c. Anno MCCLXII. Abbas Savinus, qui tunc prerat dicto Monasterio, ędificavit ex dictis columnis, & lapidibus aptatis, & aliis lateribus usque ad Campanile, & residuum frontespitii suprascripti cum fenestra vitrea mirę pulcbritudinis*,

nis & in tecto toto suprascripto, ut trabis recta linea usque ad Sanctum Dominicum (Vernagallium in hoc templo jacentem, de quo & supra loquitur) *duobus arcubus extra chorum existentibus, & etiam chorum Monachorum fieri fecit, & altare majus, &c.* Et longè infra: *Abbas Gerardus de Forolivio* (is postmodum anno 1299 ob eximia sua merita in Generalem electus est, ac Gherardi III. nomine totum Ordinem est moderatus) *MCCLXXXXVIII. qui tunc praeerat prelibato Monasterio emit pallium Monasterii Altaris meliorem & fregium & vendidit celostria* (an caelaturas?) *de metallo, & plures pulcherrimas columnas Ecclesię Communi Florentino & reliquit debitum ultra M. libras, &c. Anno MCCCIIII Abbas Andreas de Vulterris qui tunc preerat predicto Monasterio debitum solvit suprascriptum, & fecit peculium de bonis dicti Monasterii & hedificavit residuum suprascriptę Ecclesię, & tectum, & frontespitium Ecclesię mirificum ex lapidibus marmoreis ex latere Burgi, &c.* Cujus operis memoria quodam marmore Leoninis versibus, juxta rudioris ejus saeculi gustum compositis, sculpta olim legebatur, tenoris sequentis.

Cernite vos queso quae fulgent marmore corso
Hoc opus alarum frontis templi quoque clarum
Tempore constructum fuit, ad finemque reductum
Hic Patris Andreę laudis de culmine verę
Vulterris natus fuit Abbas ipse prefatus
Infrascriptorum numero tunc & Monachorum
Cei ductoris Claustralis rite Prioris
Anselmique, Boni Benedictum junge Guidoni
Sic Plancus, Michael, Andreas, Angelus inde
Camaldulenses sunt hic & Cęnobienses
Laude supernorum insistunt Angelicorum
Anno Milleno trecento tres dato deno
Cęsar & Henricus Annus regnandoque primus
Gulielmus sane Pisanus sumite plane
Hic operis factor caput extat, & Ordinis Actor
Ergo Tu spector qui respicis hęc quoque Lector
Summo dans laudes Patri quo denique plaudes
Dię animabus eorum da bona Christe Polorum.

Notae autem Chronicae hujus restaurationis indicant annum communem 1312. qui Pisanis 1313. numerabatur, & primus erat Imperii Henrici VII. multae aliae postmodum Templi ipsius restaurationes subinde factae, quibus plurimum immutata est loci facies, adeo ut nihil remanserit, quod veterem formam redoleat à B. Bono ante septingentos annos acceptam; eoque minus praeseferat antiquitatem aethnici Templi, quod hic coeca Gentilitas olim excitarit.

Num. V.

Num. V.

Sententia Gottifredi Ducis, & Marchionis Thusciae favore Ecclesiae & Hospitalis SS. Martini & Frigdiani de Pisis Ord. nostri.

„ Ex Archivo Monasterii nostri Angelorum
„ Florentiae.

Anno 1063. *Style Romano, seu* 1064. *more Pisano.*

CUm in Dei Nomine in Civitate Pisa in palatio Domi ... rei ... (*a*) in judicio resideret Donnus Gotefredus (*b*) gratia Dei Dux & Marchio ad justitiam faciendam ant deliberandas resitentibus cumeo Uvido (*c*) Episcopus Sancte Marie Pisensis Ecclesie Ugo Vicecomes Johannes Uvillelmus Ildebrandus Judicibus Domni Imperatoris. Ugo & item Ugo Teuderigusseu Teuditio adque Uvido Judicibus sacri Palatii nec non & Lambertus filius quondam Rodilandi seu Uvalando filio quondam Sicheri seu Ildebrando & Saracino germani filii quondam Uvalandi & Rainerii filio bone memorie Ildebrandi Maringnano & Comtolino Castaldionibus Rustico filio bone memorie Benedicti Petrus filio bone memorie Albiti seu BOLGARELLO (*d*) filio predicti Benedicti Rodulfo filio bone memorie Rodilandi Ugo & Uvido seu Lambertus & Conus Notarii Enrigo filio suprascripti Rainerii & Landolfino filio Carli & reliquis plures ibidem fuissent veniens Leo (*e*) Presbiter Rector & Custos Sancti Martini & Sancti Fridiani & Ospicii (*f*) una cum Petro Avocato suo & ceperunt dicere. Jam plures vices reclamati sumus nos ad vos Domine Gotifrede Dux & Marchio super Uvidonem Judicem filius quondam Rustichi qui nobis malo ordinem detinet & contradicit a pras Ecclesia Sancti Martini & S. Frigdiani que est Ospicium pauperum & peregrinorum nominative tertia portione de tres portionibus de integra

una petia de terra cum casa solariata super se abentes & de alia casa a petra & a calcina com . . . tate levata seu & de aliis duabus casis in predicto loco quibus fuerunt predicte case quondam Bonitioni Judex filius quondam Bonius qui fuit similiter Judex jam dicta omnia case solajate & alie re misit per cartula offersionis in ospicium pauperum & peregrinorum qui est infra hanc civitate Pisense prope Ecclesia Sancti Martini & S. Fridiani. Unde vos per plures vices ad vestrum Placitum (*g*) vociferare fecistis ut ille ad vestrum Placitum venisset, & nobis & a pras de suprascripto ospicio de suprascriptis rebus legem & justitiam servaret. Et ille Uvido Judex minime venire voluit. Pro ac causa querimus vobis mercedem ut propter d tum & anima Domini Regis (*h*) ac vestra que mercedis ut nos de prenominata portione de suprascriptis omnibus casis a pras de suprascripto ospicio de suprascriptis rebus faciat. Unde jam dictus Domnus Gotefredus Dux & Marchio & predicti Judices talia audissent dixerunt quod si esset veritas sicuti pro se predicto Leo Presbiter & jam dicto Avocato suo asseruerant. Denique jam dicto Donnus Gotefredus Dux & Marchio per fuste quas in suis detinebat manibus per laudationem prescriptorum judicum investirit predicto Leo Presbiter & jam dicto Avocato suo a pras supradicto ospicio de suprascriptam tertiam portionem de suprascriptis tres portionibus de integris omnibus suprascriptis rebus que superius leguntur ad salva prelam quo usque predicto Uvido Judex veniat & eis legem & justitiam faciat. Et insuper misit bannum ex parte Domni Regis in Mancusos aureos (*i*) duo millia ut nullus quislibet omo mamgna parvaque persona jam dicto Leo Presbiter & suprascripto Avocato suo & jam dicto ospicio de prenominata portione de tres portionibus de omnibus suprascriptis casis & rebus que superius legitur disvestire molestare vel inquietare audeat. Qui vero fecerit predicta duo milia Mancusos aureos compositurum se agnoscat medietatem parti Camare Domini Regis & alia medietate a parte suprascripte Ecclesie & Ospicio & suprascripto Leoni Pre-

Presbitero suisque successoribus. Unde anc notitiam per securitatem ac firmitatem & sui tuta ostensione ostemdendam fieri jussimus quidam & ego Erimundus notarius Domni Imperatoris ex jussione suprascripti Dux & Marchio & judicum amonitione scripsi anno ab Incarnationis Domini nostri Jesu Xpi mille sexagesimo quarto (*k*) tertio nonas madii Indictione prima.

✠ Ugo Vicecomes interfui.

Seniorectus judex Domni Imperatoris interfui.

✠ Hugo Judex Sacri Palatii interfui.

Johannes Judex Domni Imperatoris interfui.

Uvillelmus Judex Domni Imperatoris interfui.

Wido Judex Sacri Palatii interfui.

Teuditio Judex Sacri Palatii interfuit.

N O T A E.

(*a*) Legendum forte ***Domini Regis***. Parcat autem Lector hic, & alibi barbaras, & aliquando nullius significationis voces huic judicato insertas, partim saeculi illius minus cultae loquelae, partim scribae, aut Notarii imperitiae, nonnumquam & difficultati lectionis ejusmodi characterum obsoletorum, & evanescentium errores inspersos condonans. Saepe ob negligentiam Scriptoris transpositae litterae occurrunt, sensum vocum turbantes; Ut cum dicitur ***a pras*** pro ***a pars***, idest ad partem Ecclesiae, &c.

(*b*) Ab anno 1055. ad 1070. Etruriam rexit Gothofredus Lotharingiae Dux dictus Barbatus, ad quem extant B. Petri Damiani epistolae quatuor ***lib.*** 7. ***Ep.*** 10. 11. 12. 13.

(*c*) Hunc etiam ***Ricbonem*** appellatum vult Ughellus ***tom.*** 3. ***in Arch. Pisanis***, ac Papiensem fuisse, & ab anno 1063. ad 1077. Pisanam Ecclesiam ab eo administratam docet.

(*d*) Vide, quae supra diximus ***in nota*** 28. ***ad Epist. nost.*** de Bulgaris, & Bulgarellis.

(*e*) Frequens ejus mentio in Tabulariis tum Archivi S Michaelis Pisarum, tum Angelorum Florentiae, ab anno 1061. ad 1075. ut patet ex documento infra afferendo n. 6.

(*f*) Cum antea ad usum hospitii pauperum & peregrinorum dumtaxat SS. Martini, & Frigdiani Ecclesia deserviret, anno 1077. Pisano VIII. Kal. Maii indictione 14. ut patet ex

Archivo Fontis Boni, oblatus est locus ipse Priori Camaldulensi B. Rodulfo à Binia Relicta quondam Domichi, & filia b. m. Dominichi *ita ut semper permaneat ad ordinem Monachicum & sit in potestate vera predicti Rodalphi Prioris consilio Congregationis sue & ejus successorum regendi & disponendi predicta loca & constituendi Monachos & eligendi Prioris*. Actum manu Manfredi Notarii Domini Regis; Deinceps ergo S. Frigdiani Ecclesia Monasterium evasit, ac in Ordine permansit, usque dum anno 1521. in commendam prolapsa, & anno 1560. à Cosmo Medices Magno Etruriae Duce primo, pro sua militari Religione S. Stephani obtenta, deinde anno 1595. Clericis Regularibus S. Pauli, quos Barnabitas vocant, fuit concessa. At Ecclesia S. Martini ad Hospitalis officium mancipata mansit, usque dum post varios casus, Coenobio Angelorum Florentiae Apostolica auctoritate, cum omnibus suis peculiaribus bonis, & pertinentiis unita fuit.

(g) Placita vocantur judicia in conventu Procerum, & Judicum à Principibus habita, dum causas, & querelas subditorum audirent. Sed de varia vocis hujus acceptione videndus Du-Cangius in Glossario.

(h) Henrici IV. qui ab anno 1056. post mortem Henrici III. Imperatoris puer septennis a Patre relictus regnare coepit; Imperii verò coronam anno dumtaxat 1084. obtinuit.

(i) Marcas Auri, quas etiam Mancas, & Mancusas dictas observat Du-Cangius.

(k) Stylo scilicet Pisano, ut patet ex indictione prima, quae anno communi 1063. respondet.

Num. VI.

Commutatio terrarum, inter Uvillelmum, & D. Leonem Hospitalarium Sancti Frigdiani.

» Ex Archivo Monasterii Angelorum Florentiae.

Anno 1075. *Pisano, seu* 1074. *Communi.*

IN Nomine Domini nostri Jesu Christi Dei Eterni. Anno ab Incarnationis ejus mille septua .... quinto pridie idus Augusti Indictione duodecima. Manifesto sum ego Uvillelmo filio Cuntulini quia convenit mihi una tecum,

cum. Leo Presbitero Rectore & Prior de ospicium pauperum & Pellegrinorum qui est fundato & edificato infra Civitate ista Pisense prope Ecclesiam Sancti Frydiani & Sancti Martini ut inter nos de aliquantis rebus commutationes facere deberemus sicut factum est. Proinde modo Ego qui supra Uvillelmo consentientes mihi suprascripto genitor meus per anc cartula in commutatione dare & tradere videor tibi a pars suprascripti ospicii idest una petia de terra mea illa quam mabeo infra Civitate ista Pisense prope suprascripta Ecclesia. Quas ipsa petia de terra tenemtes uno capo in terra Uvidi filio b. m. Signorecto & alio capo tenet in terra Ocdi quondam BOLGARI [a] & in terra de filie quondam Uberti lato uno tenet in terra qui fuit Rustichi filio b. m. Gherardi & alio lato tenet in terra tua qui supra Leo Presbitero. A suprascripta pretia de terra in eodem loco qualiter ab omnis parte circumdata est per designatas locas que est pro mensura ...... scalas duas in imtegrum cum inferioribus & superioribus suis seu cum accessionibus & ingressoras suas tibi eas in commutatione dare & tradere videor consentientes mihi suprascripto Genitor meus a pars suprascripti ospicii. & suprascripta petia de terra quas tibi in commutationem dedit a pars suprascripti ospicii recepit a de meo mutationem de pars suprascripti ospicii idest una petia de terra illa que est positas della parte fluvio Arno in loco ubi dicitur Castagnulo que est pertinentes a suprascripto ospicio. quas ipsa petia de terra est tenentes uno capo in via publica & alio capo tenet in terra de Ecclesia & Monasterio Sancti Savini. lato uno tenet in terra de filii Uvillelmi & de consortibus suis & alio lato tenet in terra Comitorum. A suprascripta petia de terra in eodem loco qualiter ab omnis parte circumdata est per designatas locas in imtegrum cum inferioribus & superioribus suis seu cum accessionibus & ingressoras suas ad te eas in commutationem recepit de pars suprascripti ospicii. ubi super anc commutationem secundum Legem [b] ambulaverunt tres ominem deum timentes corum fides amittitur [c]. i

funt nomina eorum Bernardo filio b. m. Pipini & Uvido filio b. m. Albitii feu Idelbrando filio b. m. Andree qui fuper hanc commutationem ambulaverunt & previderunt feu iftimaverunt adque renuntiaverunt & qualiter meliorata & adampliata comutationem recepifti a pars fuprafcripti ofpicii quem dediffe ut mais omni tempore an comutationem firmam e ftabile permanead femper adque perfiftans. Unde repromitto ego qui fupra Uvillelmo confentientes mihi fuprafcripto Genitor meus una cum meis eredibus tibi qui fupra Leo Presbitero Prior & Rector de fupsto ofpicio vel a pofterifque fucceffioribus tuis aut eidem omini cui vos fuprafcripta petia de terra quas tibi in commutationem dedit a pars fuperfcripti Ofpicii dederitis vel abere decreveritis ut fi nos vobis eas aliquando tempore in alico exinde intemtionaverimus aut retolli vel fuptrai quefierimus nos vel ille omo cui nos eas dediffemus aut dederimus per cholibet ingenio . Spondeo ego qui fupra Uvillelmo confentientes mihi fuprafcripto genitor meus una cum meis eredibus componere tibi qui fupra Leo Presbitero vel a pofterifque fupceffforibus tuis aut cui vos dederitis vel abere decreveritis fuprafcripta petia de terra quas tibi in commutationem dedit a pars fuprafcripti Ofpicii in duplum in ferquidem [d] loco fub eftimationem quales tunc fuerit. Nam dalis ominibus nos vobis exinde nec auctores nec defemfores neque reftauratores nec pretium redditores vobis effe non debeamus fet per vos ipfi eas defendere debeatis cum cartula ifta comutationis & cum alie cartule & moniminas [e] feu exemplar exinde pertinemtes quas vos exinde abere & opftendere potueritis vel como aut qualiter juxta legem melius potueritis quia in tali ordine inter nos convenit & duos inter nos Comutationis Cartule Bollamdus Notarius Domini Regis fcribere rogavi. Actum Pifa.

✠ Ego Guillelmus in anc cartula commutationis a me facta fubfcripfi.

Ego Contulino Genitor predicti Uvillelmi confenfi.

Signorectus Notarius Domini Regis rogatus teftis SS.

Sin-

Singnum de manibus Enrigo & Villano germanj filii b. m. Johannis testes.
Singnum de manibus Uvido filio b. m. .... testis.
Rollandus Notarius Domini Regis post tradita complevi & dedi.

N O T A E.

(*a*) De Bulgaris vide dicta in Notis Epistolae nostrae *num.* 28.
(*b*) Eamdem Legem observatam fere semper in contractibus commutationum observo. Sic in charta commutationis initae anno 1095. communi, sed 1096. Stylo Pisano pridie Kal. Junii Indictione 3. inter Petrum Abbatem S. Michaelis (qui postmodum Pisarum Archiepiscopus fuit, Balearica expeditione insignis) & Bellum filium quondam Donati, legitur: *Et ut ordo quidem Legis deposcit ad providenda hanc commutatione accesserunt tres Viri Idonei estimatores hec sunt nomina eorum. Torni e Manfredi germani filii quondam Uvillelmi & Bonio Notarius filio quondam Uvidi, &c.* Actum Manu Folkerii Notarii. Similiter in commutatione terrarum facta à Ludovico Abbate S. Michaelis cum Guidone Clerico filio quondam Gerardi anno Pisano 1120. pridie kal. Junii Indictione duodecima habetur: *Et ut Lex poposcit ad banc comutationem providendam & res extimandas accesserunt omines Deum timentes qui ipsas res extimaverunt Giraldus filius quondam Alberti & Rusticus quondam Bonii missi Domni Abbatis quibus rectum comparuit quod donnus Abbas melioratas terras reciperet quam daret.* Actum manu Rodulfi Notarii Apostolicae Sedis. Item in commutationis pagina, quae inter Albertum Abbatem S. Michaelis, & Bellincionem facta est anno Pisano 1137. XVI. kal. Septembris Indictione XIV. dicitur: *preinde sub presentia bonorum hominum quorum nomina subter leguntur elegimus homines bone fidei quorum nomina sunt Bernardus divina gratia Monachus & Camerarius dicte Ecclesie & Monasterii S. Michaelis & Giraldus filius quond. Alberti qui rationabiliter ad utilitatem meam & jam dicte Ecclesie discernerent ipsas res quas commutare disposueramus, &c.* Actum manu Gerardi Notarii Apostolicae Sedis. Quae omnia in Archivo S. Michaelis habentur.
(*c*) Idest *admittitur*, non verò in contrario sensu, ut amittatur horum Aestimatorum fides. Sic in commutatione facta à Canonicis Pisanis anno 978. [de qua infra in nota [*a*] documenti referendi N. XII.] habetur: *Et super hanc commutationem secundum Legem tres homines eorum fides admittitur &c.* (*d*) In

(d) In *ferquido*, idest consimili loco.
(e) Monimenta, vel potius monumenta veterà, ut sunt Privilegia, diplomata, contractus, &c.

Num. VII.

Donatio facta Monasterio S. Michaelis per Landolfum & Gunteldam Jugales.

„ Ex Archivo ejusdem Monasterii.

Anno 1077. *Communi, sed* 1078. *Pisano, mense Majo.*

IN Nomine Domini nostri Jesu Christi Dei Eterni. Anno ab Incarnatione ejus millesimo septuagesimo octavo undecimo Kal. Junii Indictione quintadecima. Manifesti sumus nos Landolfus filius b. m. Enrici & Guntelda jugalibus & filia b. m. Uvidi quia communiter consentientes mihi suprascripto vir meus ubi & secundum Legem interesse videtur notitia Theoderici Judex Sacri Palatii Lateranensis a quo secundum Legem [a] interogata & cognita sum quia nulla me passa sim violentia sed pura & ex integra mea bona voluntas sequentes edicti paginam comuniter & consentientes per hanc cartulam pro anime nostre remedio & pro remedio suprascripti quondam Enrici offerimus donamus hac tradimus Omnipotenti Deo & Ecclesie Monasterii Sancti Michaelis Archangeli quod est fundato & edificato foras Civitate Pisa prope Porta que dicitur Samueli ubi nunc Domnus Leone Abbas [b] preesse videtur. i sunt tres petius de terris illis una ex ipse qui est posita in loco & finibus Montioni qui ambas capitas tenet in vie Carraricie lato uno tenet in terra Sismundi Notarii filio b. m. Lei & alio lato tenet in terra Ecclesie S. Donati & est pro mensura ad juxta seminatura Sillariorum octo. Et illa secunda petia de terra est posita in loco & finibus Silva longa que uno capo cum uno lato tenet in

via

via publica & alio capo tenet in terra Uvidi filio b. m. . . . . & alio lato tenet in terra de filii quondam Moroni & est pro mensura ad juxta seminatura sistariorum sex . & illa tertia petia de terra est posita in loco & finibus Columgniola que uno capo tenet in terra suprascripte Ecclesie Sancti Michaelis & alio capo quod est per traverso per mensura ad justo pedes que dicitur Liutprandi Regis [c] pedes triginta & sex tenet in terra nostra quas nobis reservamus ad faciendum viam ad utilitatem nostram & de suprascripto Monasterio. Lato uno tenet in terra Uberti & Gerardi Germanorum filii b. m. Petri & alio lato tenet in terra nostra quas nobis reservamus & est pro mensura ad justam seminaturam sistariorum duo. as ista tres petias de terris qualiter ab omni parte circumdati sunt per designata loca in integrum cum inferioribus & superioribus suis seu cum accessionibus & ingressoribus suis & cum via ambulandi & egrediendi pro ista terra quas ad viam faciendum reservamus usque ad *via* publica Omnipotenti Deo & predicte Ecclesie Monasterii Sancti Michaelis Archangeli offerimus donamus & tradimus. Item offerimus Omnipotenti Deo & predicte Ecclesie Monasterii Sancti Michaelis tres sestariorum de terra ad justa seminaturam infra una petia de terra illa que posita est in loco & finibus silva longa que unum caput tenet in terra Stefani filio b. m. BULGARI [d] & alio capo tenet in via. Lato uno tenet in terra Bani filio b. m. . . . . & alio lato tenet in terra Petri Presbiteri filio b. m. . . . . . . & Lamberti Presbiteri filio b. m. . . . . . . de ascripta dicta petia ad terra qualiter ab omni parte circumdata est per designata loca ut dictum est tres stariorum ad justa seminatura in integrum cum inferioribus & superioribus suis seu cum accessionibus & ingressoribus suis Omnipotenti Deo & predicte Ecclesie Monasterii S. Michaelis offerimus. Similiter offerimus Omnipotenti Deo & predicte Ecclesie Monasterii Sancti Michaelis idest medietatem ex integram de una petia de terra illa que est posita in loco & finibus Titiniano que unum caput tenet in semetula & alio capo tenet in

net in via Carraricia lato uno tenet in terra Uvidi filio b. m. . . . . . . & de consortibus suis & alio lato tenet in terra suprascripti Theodorici Judex & eas supradicta petia de terra qualiter ab omni parte circumdata est per designata loca que est pro mensura ad justa seminaturam stariorum sex ut dictum est medietatem exinde integram cum inferioribus & superioribus suis seu cum accessionibus & ingressoribus suis Omnipotenti Deo & predicte Ecclesie de Monasterii Sancti Michaelis offerimus donamus & tradimus per presentem paginam offersionis ibidem ad habendum confirmamus ut sit jure predicti Monasterii ad usum & sumptum seu stipendia cunctorum Monachorum qui ibi modo militant quamque in antea militare videbuntur sine omni nostra nostrarumque heredum contradictionem vel repetitionem. Siquis verò quod futurum esse non credimus & si nos qui supra jugalibus quod apsit vel nostris heredibus seu quislibet nostra opposita persona contra hanc cartulam offersionis venire tentaverimus vel si eam infrangere vel disrumper quesierimus & si non permiserimus permanere sicut supra decrevimus vel si eam a pars supradicte Ecclesie Monasterii ab omni homines defendere non potuerimus & non defensaverimus. Spondemus nos qui supra jugalibus comuniter & consentientes una cum nostris heredibus componere a pars supradicte Ecclesie S. Michaelis Archangeli supradictas res in duplum in ferquidem loco sub estimatione quales tunc fuerit. Sic tamen si nos Rectores de supradicto Monasterio nos exinde Auctores nec defensores querere nec dare noluerit licentiam habeant absque nostras personas exinde causas agendi responsum reddendi finem ponendi modis omnibus vobis eas defensandi cum cartula ista vel qualiter justa legem melius potueritis quia in tali ordine hanc cartulam offersionis Uvido Notarius Domini Regis scribere rogavimus. Actum Pisa.

Signum de manibus suprascripte Guntelde que hanc cartulam offersionis fieri rogavi.

Ego Landolfus Viro predicte Guntelde in hac cartula offer-

offersionis communiter consentientes a nobis facta.
Theodoricus Judex Sacri Palatii Lateranensis interfui.
Signum de manibus Uberti filii b. m. Lei testis.
Signum de manibus Godini filio b. m. Gherardi testis.
Signum de manibus Gerardi filio b. m. Bonaccioni testis.
Signum de manibus Ughi filio b. m. Sstefani.
Ego Uvido Notarius Domini Regis Henrici post tradita complevi & dedi.

N O T A E.

(a) Legi Langobardicae conformis erat hic mos, ut videre est in Legibus Liutprandi Regis *lib.* 4. *leg.* 4. quae, licet de venditionibus dumtaxat loquatur, etiam in donationibus, quas mulieres celebrabant, obtinuit, ut in eum locum observat Clariss. Muratorius. In quibusdam chartis ejusdem saeculi expressè Lex Langobardorum, vel eorum edictum nominatur. Sic in Archivo nostrarum Monialium S. Petri de Luco *saeculo seu capsula K num.* 63. habetur donatio quaedam Gottidii Comitis filii olim Gottidii Comitis & Cunizae jugalis filiae Comitis Origani de anno 1085. mense Februario indictione octava Actum in loco Fonte buona manu Ildebrandi Notarii, ac scriptoris; ubi habetur: *Ego quidem Chuniza secundum edicti Langobardorum tenorem interrogata sum a Guinizio Judice ut si ego per alicujus hominis virtutem aut de ipso Viro meo vel per meam bonam voluntatem hanc cartam fecissem aut non. Ego manifesta dixi quod per nullius hominis virtutem neque de ipso Viro meo eam facio sed per meam bonam voluntatem facio & ipse Vir meus mihi consensit & comiatum dedit.* Similia respondet eadem Comitissa in alia venditionis charta eodem anno & mense ab eodem Notario celebrata in favorem Tagidi Comitis filii olim Pagani, quae ibidem servatur *Saeculo D. n.* 77. Idem servatur in chartis Comitissarum, Parenzae filiae Odoardi Comitis uxoris Donati filii Comitis Ramberti, & Gemmae filiae Comitis Ugonis, Uxoris autem Ubaldi Comitis de anno 1102. & Gasdiae filiae quondam Landolfi Comitis, uxoris autem Rainerii filii Ardinghi Comitis de anno 1104. Deest tamen haec forma in charta Zabulinae filiae olim Comitis Landolfi de anno 1101. quae habetur in eodem Archivo *saeculo C. n.* 47. Deest etiam in chartis nostri Archivi

Gottidius Comes
Origanus Comes
Tagidus Comes
Odoardus Comes
Rambertus Comes
Ugo Comes
Landolfus Comes
Ardingus Comes

Questi Conti dovevano essere in Mugello, dove è Luco
Ma può essere ancora Fontebuona di Camaldoli

chivi compluribus, ut in illa Biniae de anno 1177. Piſano citatae ſupra *in Documento V. ad notam* [f] & in alia Boniſiae Relictae quondam Petri & filiae quondam Albitii de anno 1089. Piſano &c. E' contrario ea formula in quibuſdam contractibus ſaeculi tertiidecimi adhuc uſurpata legitur. Sic in noſtro Archivo anno 1209. Gontilda quondam Lamberti de Salectolo, uxor Lamberti de Calc.āna quondam Leoli ſub interrogatione Viviani Judicis, & Notarii & cum conſilio propinquorum ſuorum vendit quamdam Domum Hoſpitali Eccleſiae noſtrae S. Laurentii de Rivolta. Manu ejuſdem Viviani Notarii & judicis Domni Henrici Imperatoris.

[b] Neſcio, an hic Leo Abbas S. Michaelis idem ſit cum Leone Rectore Hoſpitalis SS. Martini & Frigdiani, de quo ſupra. In quadam vita B. Boni apud me MSS. vocatur *Beatus Leo*, ſed abſque idoneo fundamento, quippe nuſquam alibi eo titulo Abbas hic inſignitur: fuit autem hic tertius S. Michaelis Abbas; ſucceſſit enim Ruſtico, qui poſt B. Bonum immediatè hoc Monaſterium rexit: expuncto penitus Martino, quem olim, deceptus erronea ſcriptura Indicis chartarum noſtri Archivi, inter Bonum, & Ruſticum vixiſſe affirmaveram *Diſſert. Camold.* 3. *cap.*

[c] Pes Liutprandi (vulgò apud Inſubres corrupta voce dictus *Pelliprand*) reſpondet Ulnae Mercatorum Florentinae in ratione 359. ad 480. nempe aequatur ejuſdem Ulnae ſolidis 14. ac denariis undecim cum dimidio, adeo ut ſemidenario dumtaxat, ſive unica parte quatercenteſima octogeſima deficiat à tribus quadrantibus ejuſdem Brachii Florentini. Ex Viviano, apud Coſmum de Arena in ſerie Ducum Etr. pag. XIII. qui pedis hujus menſuram a Petro Paulo Caravagio Mediolanenſi tranſmiſſam comparavit.

Di questo piede fa una Dissertazione il Manni negli opuscoli di Calogerà

[d] Vide notas *Epiſt. noſt. num.* 28. ubi de Bulgarorum Familia.

Num. VIII.

Num. VIII.

Bannum Comitissae Mathildis, favore Monasterii S. Viti Pisarum.

„ Ex Archivo Illustriss. D. Equitis Benedicti Lan-
„ freduccii Magni Prioris Religionis D. Stephani.

Anno 1078. *Pisano, communi verò* 1077.

Mense Junio.

CUm in Dei Nomine actum est in loco & finibus Papiana in Curte donicata in judicio residisse Domina Matilda Marchionissa & Ducatrix [*a*] at causas audiendas anc deliberandas residentibus anc stantibus cum ea Teuderici Comitis Ugo Vicecomes Ubertus Judex Evardus Sismundus Cono Causidices Morecto Bernardo Notario Ubaldo quond. Sifredi Rainerii Malabranca Lamberti quond. Rollandi Ildebrandus filio Pagani Uvido quond. Sichiti Sifredus judex Uvillielmo Castaldo Cadulo quond. Cantari & reliquis plures ibique in eorum veniens presentia Adam Abbas de Monesterio Sancti Viti [*b*] cum Bellomo Avocato suo ceperunt dicere ac mercedem petere bannum ponere [*c*] super se ac super res infrascripte Ecclesie quas habet vel imnanti juste acquisieritis. Tunc Domina Matilta cum talia audisset insimul cum superscripto Ugo Vicecomes per fustem quas in suorum detinuebant manibus posuerunt bannum super predictum Abbate vel prenominata Ecclesia adque super res suprascripti Monasterii quas nunc detinet vel deinces juste acquisierit ut nulla magna parvave persone predicto Abbate vel prenominata Ecclesia sine legale judicio divestire audead. Quod siquis fecerit sciant se compositurus mille bisantios aureos [*d*] medietatem parti plublice & medietatem suprascripte Eccle-

Ecclesie vel Abate qui nunc est vel pro tempore fuerit. Et in eo modo finita est causa. Unde anc notitia pro securitatem & factum ostensionem eidem Adami Abati ostemdemdum fieri juximus quidem & ego Rollamdus Notarius Domini Rex juxione supraseripte Domine Matilde judicio & amorectione scripsi. Anni Domini mille septuagesimo octavo [e] quinto Kal. Julii Indictione quintadecima

MA	TIL
DA	DI
GRA	SIQD
	EST

✠ Ugo Vicecomes interfui.
Ubertus Judex Domni Imperatoris interfui.
✠ Ego Everardus Advocatus interfui.
Sismundus Scriptis interfuit omnibus istis.

N O T A E.

[a] Beatricis, & Bonifacii Thusciae Marchionis filia erat Mathildis, Gotifredo Gibboso jam inde ab anno 1070. nupta, quo in Lotharingia versante, ipsamet Hetruriam administrabat cum matre Beatrice: sola vero post Beatricis mortem, quae anno superiori 1076. die 18. Aprilis obierat, subsequente post paucos dies, nempe die 28. ejusdem mensis, & anni, obitu Gothefredi Lotharingiae Ducis, Mariti ipsius Mathildis, ubique jura dabat, ac sapientissimè, & piissimè hanc provinciam regebat. Obiit autem anno 1115. die 24. Julii.

[b] Monasterii hujus vestigia, cum integra adhuc Ecclesia hodie visuntur ad Armamentarium Pisanum, ubi Navium, & Triremium structura exercetur. Olim ab Insulae Gorgoniae Monasterio, cui noster B. Bonus praefuit, pendebat: inibi Abbas Montis Christi hospitium habere consueverat, ut ex Vita S. Rainerii 17. *Junii num.* 93. deducitur, ubi Vir Sanctus, qui septem postremos Vitae annos in eo Coenobio vixit, paralyticam foeminam, *praesente Abbate Montis Christi cum duobus suis Monachis*, sanasse legitur. Ibidem floruerunt B. Albertus de Corsica, cognomento *Lingens pecus*, Magister S. Raynerii, & B. Homodeus Pisanus, socius & Discipulus S. Raynerii, & B. Sigismundus item Pisanus ex nobili, ut tradunt, Sigismundorum familia. Usque ad annum 1308. id Monasterium à Monachis &

Abba-

Abbate frequentatum est; nam vacante sub id tempus Abbatia S. Savini Ordinis nostri per mortem Joannis Abbatis, communi Monachorum suffragio Joannes alius Abbas S. Viti Pisarum postulatus est in Abbatem S. Savini, & Monachi S. Viti, ut de successore sibi providerent, in Neapolionem Cardinalem compromiserunt, ut ex Actis constare vidimus, in Archivo Pisanae Carthusiae, asservatis; huic enim Carthusiae tum Abbatia Gorgonae, tum haec S. Viti ab illa dependens ab Urbano V. unita est. Postea Monialibus Clarissis S. Viti Monasterium cessit, quae novissimè ad nostram S. Laurentii Ecclesiam translatae sunt, ut Navalis Armamentarii Artificibus locum cederent.

[c] Mulctam scilicet publicare in contrafacientes. V. Du-Cangium.

[d] Nummi aurei ab Imperatoribus Constantinopolitanis apud Byzantium cusi *Byzantii* vocati sunt, corruptè autem à vulgo *Bisantii*.

[e] More Pisano, in cujus territorio Mathildes tunc versabatur; id enim indictio 15. evincit, anno communi 1077. conveniens.

Num. IX.

Judicatum Constantini Episcopi Aretini de quadam hereditate, favore Canonicae S. Donati, & Eremi Camaldulensis.

„ Ex Archivo Monasterii Camaldulensis
„ Fontis Boni

Anno 1079.

DUm in Dei Nomine in Palatio Episcopatus Aretini in judicio resideret Constantinus Aretinus Episcopus [a] & Lugo Comes ad justitias faciendas hac deliberandas residentibus cum eis Arderico Gerardo Johanne Judicibus Nordilo Rodulfo Sismundo Uberto Ugolino Causidicis Uvalfredus Comite Pagano de Corsena Ugone Vicecomite Uberto filio Bucci Ildebrando Ugonis filio Rodulfo filius Mascari Saracino Rollando Ursone Griffone Guilielmo Rainerio filio Griffi & reliquis pluribus ibidem astan-

Come Pagano de Corsena

astantibus. Ibique in eorum presentia proclamaverunt Rainerius de Paurano ac Teuduccius de hereditatem Rainerii filio quondam Fusceri quam dicebant suis uxoribus pertinere ex successione predicti Rainerii fratris earum ab intestato [b] defuncti quod aversus herimo Sancti Salvatoris de Camalduli & adversus Calonicha Sancti Donati quod hereditatis illius partem possidebat. Cujus Calonice loculo Prepositus [c] & Prior prefati heremi cum suis avocatoribus huic proclamationi hujusmodi fecerunt responsionem quod prefatum Rainerium in quadam sua infirmitate testamentum fecerat in quo cuncta sua bona destribuit & partem hereditatis de qua controversia erat predicte Canonice Sancti Donati judicavit scilicet tertia portione de Castello & Curte de Sexto. Et predicto herimo de Camalduli judicavit scilicet tertia portione de Castello & Curte de Subiano totam suam partem de Castello de Soci & tota vinea domnicata & medietatem de ipsa Curte. Ac testibus productis in quorum presentia jam dictus Rainerius suam voluntatem ostenderat de hoc testamento legitime reddiderunt testimonium & ita verum esse ut preposito Canonice Sancti Donati & Prior de Camalduli cum eorum Avocatores affirmaverant. is peractis & jussione Constantini Aretini Episcopi & Ugoni Comitis & predictorum judicum predictum Rainerium & Teudicium pro se suisque heredibus & pro eorum uxoribus refutaverunt suprascriptas res predicte Canonice & predicto eremo & obligaverunt se quod nec ipsi nec eorum uxores vel eorum earumuel heredes predicto Preposito & jam dicto Prior ejusque successores de prefatis rebus nullam controversiam inposterum moturos sub pena centum librarum denariorum Lucensium. Insuper predictus Episcopus & Ugo Comes miserunt bannum supra dictum Prepositum & supra jam dicto Priorem atque suos Avocatos & supra prefatas res ut nulla magna parvaque persona eos eorumve Successores de predictis rebus disvestire aut molestare presumat sine legali judicio. Qui vero fecerit hoc sciat se compositurum duo millia Bisantios aureos medietate parti publi-

publice & medietatem eisdem Prepositus & Priori suisque successoribus. Unde quidem & ego Ardericus Notarius Sacri Palatii ex jussione Domni Episcopi & Ugonis Comitis & Judicum atque Causidicorum amonitione scripsi.

Anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Xpi millesimo septuagesimo nono pridie nonas Decembris indictione tertia.

Ego Constantinus Episcopus SS.
Ego Ardericus interfui & SS.
Ego Johannes Judex Domni Imperatoris interfui & SS.
Nordilus hec laudat que presens pagina monstrat.
Firmat Rodulfus legali jure peritus.
Gerardus judex Sacri Palatii SS.
Sirmundus interfui.

Caput & exemplar hujus notitie retinuit Joculus Prepositus in sua bona fide ut si aliquo tempore necesse fuerit Priori Camaldulensi illam videre vel habere pro aliqua utilitate sine aliqua contradictione videat & habeat post eidem Preposito vel successori reddat ad conservandum eam quia comunis est & communi utilitati proficere debet.

NOTAE.

(a) Praefuit Constantinus Aretinae Ecclesiae saltem ab anno 1064. ad 1084. nam hisce annis diplomata complura habemus Eremo Camaldulensi concessa. Illum ex Comitibus Guidiis fuisse nonnulli arbitrantur apud Ughellum *tom. 1. Ital. Sac.*

(b) Qui sine confectis Testamenti tabulis moritur *intestatus* decedere dicitur, illique *ab intestato* proximi agnati, aut cognati succedunt ex Romano jure Digestorum *lib. 29. tit. 4.*

) Hic *Joculus* in aliis duobus Privilegiis ipsius Constantini Episcopi se *Jocundum* nominat. Alterum eorum est anni 1064. quo Rustico Priori *Anachoretarum*, ut ait, *nostre heremi que dicitur Campus Maldali*, confirmat omnia *que pie recordationis quondam precessor noster Theodaldus Episcopus qui Ecclesiam in loco qui Campus Maldoli dicitur in honore Domini nostri Jesu Christi ÆDIFICAVIT fratresque inibi Deo heremiticam vitam ducentes DEPUTAVIT eis concessit, &c.* qua eadem phrasi usus est Iramo, qui & Irenrido

L

dus immediatus Theodaldi successor in suo privilegio anni 1037. *In quo loco*, inquit, *pie recordationis Antecessor noster Theodaldus Episcopus Ecclesiam in honore Sancti Salvatoris Domini nostri Jesu Christi ÆDIFICAVIT & quosdam fratres inibi DEPUTAVIT*, &c. Quae adnotare visum est in confirmationem sententiae nostrae, quam *Dissert. Camald II. cap. 6.* protuli de aedificatione Sacrae Eremi Camaldulensis ad annum 1027. sub Theodaldo omninò referenda, non ad annum 1012. sub Helemperto Episcopo, cujus nullae prorsus ea in re partes fuerunt, quidquid Ammiratus, & Burallius, & Ughellius à Fortunio nostro decepti asserant: itemque ad confutationem eorum, qui meram Ecclesiae consecrationem Theodaldo deferunt, cum Auctoribus Veneti Diarii *tom. 9. art. 12. n. 4.* Dicto igitur Privilegio anni 1064 sic Joculus subscribit ante Gerardum Primicerium *Ego Jocundus Archidiaconus & Canonicorum Rector interfui & SS.* Alterum verò ejusdem Constantini privilegium est de anno 1084. quo permittit Rodulfo filio Ungani, ut ad Camaldulensem Eremum transeat *cum omni beneficio & tenimento quod ex parte Sancti Donati habet*, idemque generatim omnibus elargitur; cui subscribit Joculus noster in haec verba, ante eundem Primicerium: *Ego Jocundus Archidiaconus & Prepositus SS.*

Num. X.

Compositio Petri & Gerardi atque Ildebrandi Vicecomitum cum eorum fratre Sicherio Vicecomite.

Ex Archivo S. Michaelis Pisarum.

Anno 1085.

E*Xemplar*. In Nomine Domini nostri Jesu Christi Dei Eterni. Anno ab Incarnatione ejus millesimo octuagesimo quinto pridie idus Martii Indictione octava. Manifesti sumus nos Petrus & Gerardus seu Ildebrandus Vicecomites filii quondam Sicheri quia tu Sicheri Vicecomite germano nostro filio predicti Sicheri dedisti nobis meritum annulum unum de aurum prout per hanc permissionis paginam permittimus tibi ut de admodum ut

num-

numquam ullo tempore non habeamus poteſtatem neque licentiam nos predicti germani neque noſtris heredibus neque cui nos dediſſemus aut dederimus, tibi predicto Sicheri germano noſtro vel a tuo heredes aut cui vos dederitis vel habere decreveritis pignorandi neque ſubtrahendi neque minuandi neque moleſtandi neque per placitum fatigandi nullamde una pezia de terra que videtur eſſe poſitam foras civitatem Piſam in loco & finibus ubi dicitur Rivolta quas nobis per preceptum obueniunt ex parte Domni Enrici . . . . pris. Quas petia de terra tenet unum caput in terra BOLGARELLI quondam Benedicti & Lelmundi quondam Manfredi qui fuit Judex & unum caput tenet in terra mea. Quod petium quas mihi obuenit in ſortem & diviſionem antedicti Sicheri & predicti germani noſtri. Latus unum tenet in terra mea qui ſupra Ildebrando quas mihi in ſortem & diſione venit da te quondam Sicheri & da predicti germani noſtri & alium latus tenet in terra de Eccleſia & Monaſterio Sancti Michaelis. Et predicta petia de terra in eodem loco quo ſupra ab omni parte circumdata eſt per deſignata loca ut dictum eſt vobis exinde nullam partem donare nec ſubtrahere neque minuere neque moleſtare neque placitum fatigare non debeamus unde permittimus nos predicti germani una cum noſtris heredibus tibi Sicheri germano noſtro vel a tuo heredes aut cui vos eas dederitis vel habere decreveritis uti mos vobis eas de quas tibi ſupra permiſimus aliquando tempore in aliquo exinde . . . . averimus aut retrahere vel ſubtrahere queſierimus nos vel ille homo qui cum noſtro dicto vel facto evenerit aut apparuerit qui contra vos agere vel in . . . . . . are ſeu minuere atque moleſtare ſive per placitum fatigare fecerimus preſumpſerimus per noſmetipſos vel per ulla noſtra que ſumittente perſona cui nos eas dediſſemus aut dederimus per quodlibet ingenium. Spondemus nos predicti germani una cum noſtris heredibus comunibus ſupradicto Sicheri germano noſtro vel a tuo heredes aut cui vos eas dederitis vel habere decreveritis aut eidem omo qui hunc permiſſio pro manu habuerit & eum nobis 9. venderimus

 penas

penas arientum optimum libras centum quia in tali ordinem hunc permiſſio Romanus notarius Domini Regis ſcribere rogavi. Actum foras Civitatem Piſam prope Eccleſiam Sancti Felicis & Reguli.

Signa manuum ſupraſcriptorum qui hunc permiſſio rogaverunt fieri.

Signa manuum Francardi filius quondam Guidi & Benii filii quondam Bene & Uberto filius quondam Guidi & Enrico filius Joannis & Benedicto filius.... teſtium.

Ego Romanus Notarius Domini Regis poſt tradita complevi & dedi.

Ego Ubertus Notarius Domini Regis ex autentico illo exemplavi.

Folkerius Notarius Domini Regis autentico illo vidi & legi unde hoc exemplar factum eſt & ſubſcripſi.

Ego Alcherius autentico illo vidi & legi unde hanc exemplar facta eſt & SS.

Ego Francadus autentico illo vidi & legi unde hanc exemplar factum eſt & hic ſubſcripſi.

Num. XI.

Uguccio Comes in Emphytheuſim concedit Caſtellare Plebis S. Stephani Bonizoni Monacho Camaldulenſis Eremi.

„ Ex Archivo Angelorum Florentiae

Anno 1092.

IN Nomine Domini Dei Eterni. Anno ab Incarnatione ejus nonageſimo ſecundo poſt mille menſe Aprilis indictione quintadecima. Manifeſtus ego Ugkicione Comes filius quondam BOLGARI Comitis [a] ſecundum convenientia noſtra & quia dare atque ad habendum tenendum & laborandum & laborare faciendum ſeu & meliorandum, dare previdi tibi Bonizo Monachus [b] de Eccleſia & Ermitorio Sancti Salvatoris ſita Campo amabilis a vice prefate

questo sembra essere il Monastero di Firenze.

fate Ecclesie idest integrum unum Castellare de terra que est positum infra territorio de plebe Sancti Stefani sita Campi in predicti casale de Campi sicut ipsum Castellum fuit edificatum a fossis cum ipsum fundum prefate fossis sicut predictum BULGARI Comes abuit & detinuit & sceptum ante positam ipsam partem quam prefato Genitor meus qui supra BOLGARI per cartulam dedi ad filiorum Farolfi & a Baccaro & in simul do tibi qui supra Bonizo Monachus unam petiola de terra que est posita prope dictum castellum cum suis caudis & est inter hos fines ipsa petiola de terra. Ex duobus lateribus currit ei via publica ex tertio latere est terra Bernardi ex quarto latere est terra Sancti Johannis. Idem predictum Castellare & predicta terra cum omnia super se & infra se abentes L. uln.eas tibi qui supra Bonizo Monachus & a tuis posteris successoribus dare & firmare previ & mihi qui supra Ugkiccione Comes & a meis heredibus hac proheredibus tu Bonizo Monachus & tuis posteris successoribus dare nobis debeatis pensione per omnem annum in mense Aprilis nobis vel ad misso nostro per vos aut misso vestro argentum denari duodecim boni & spendibili & non amplius. Et si vos adimplentes & si ego qui supra Ugkiccione Comes vel meis heredibus hac proheredibus tibi suprascripto Bonizo Monachus, vel a vestris posteris successoribus de predictum Castellare & prefata terra minuare vel retollere aud amplius quam supra legitur vobis superimponere presumpserimus tibi componituri & daturi esse debeamus ego qui supra Ugkiccione Comes vel meis heredibus hac proheredibus tibi suprascripto Bonizo vel a vestris posteris successoribus pena nummos de bono argento libras viginti. Quidem & ego qui supra Bonizo Monachus manifestus sum quia omnia ut supra legitur & inter nobis convenit si distulero ego qui supra Bonizo Monachus vel meis posteris successoribus dare & adimplere per omnem annum tibi suprascripto Ugkiccione Come vel a tuis heredibus hac proheredibus ipsam pensionem sicut supra legitur si vos recipere volueritis aud si suprascripta

L 3 terra

S. Stefano di Campi

per Vaccaro

terra & predictum Castellare dimittere presumpserimus vel si per nos peiorata aut subtracta apparuerit tunc illa predicta pena libras viginti pari jure componere debeamus. Unde duo libelli in uno tenore fieri rogavimus. Actum in loco Bentina.

Signum manus suprascripti Ugoni Comes qui hunc libellum sicut supra legitur fieri rogavit.

Signum manus suprascripti Bonizi Monachus qui hunc libellum sicut supra legitur fieri rogavit.

Signum manus Nironi filii quondam Segnorelli & Sesmedo filii quondam Sesmundi Quusta fil. quondam Grosolado Imazo fil. quond. Mazi rogati testes.

Ego Ildeprandus Notarius Scriptor post tradita complevi &c.

f. Nerlis

N O T A E.

(a) Vide dicta de Bulgaro in *Notis epist. nost. n.* 28.

(b) Hic Bonizo, cujus subscriptio casum obliquum *Bonizi* non *Bonizonis* exprimit, non alius esse videtur à Bonitio Monacho, cujus mentio est in binis contractibus initis anno 1086. mense Julio à B. Rodulfo Priore Camaldulensi, altero commutationis quorumdam bonorum cum Petro Abbate S. Petri de Muscheto: altero Emphytheotico, quo concedit *Alberto Plebitaneo de de Plebe S. Marie de colle montis Fenarii* quaedam bona sub annuo censu denariorum Lucensium duodecim, cum pacto ut in ipsa terra *Ospitale* faciat, *ad pauperes ibidem recreandos*; utrobique autem id se facere testatur Rodulfus *cum consilio & consensu fratrum suorum videlicet Gottidii, Guinidii, & Bonizii*. Habentur in Archivo Monialium S. Petri de Luco *Saeculo D. n.* 8. & *Saeculo K. n.* 4.

Num.

Num. XII.

Bannum publicatum à Comitissa Mathilda favore Monasterii Monialium S. Petri de Luco

„ Ex Archivo ejusdem Monasterii

Anno 1105.

IN Dei Nomine Eterni. Dum resideret Domina Matilda Ducatrix in villa Sevis ob causas audiendas ac deliberandas astantibus cum ea Aldiero Judice ac Bono Judice & Pandulfo & Theuzone Judicibus seu Bellincione Causidico & Airardo de Melignano & Ugone filio Ugonis & Johanne filio Donati aliisque pluribus ibique in eorum presentia predicta Ducatrix pro mercede anime sue misit bannum super Ubaldinum filium Azonis vice Monasterii S. Petri siti Luco super res & terras quas Zabulina conjux quondam Comitis Theudorici & Galdia conjux Ardinghi Comitis Rainerii filii & Parenza conjux Comitis Donati in prefata Ecclesia contulerunt secundum quod Ardericus Judex judicavit & Orlandum filium Contari pro dicta Ecclesia misisse in possessionem testatus est: ibique ut nullus homo nullaque persona magna aut parva predictum Monasterium aut ejus partem de predictis rebus audeat devastare tollere aut contendere sine legali judicio. Si quis vero huic pagine contraire presumpserit quinquaginta libras optimi argenti medietatem Camere predicte Comitisse & medietatem predicto Monasterio sciat se debere componere.

Villa Sevis, forse S. Piero a Sieve o il Ponte a Sieve Ubaldini

Actum anno Dominice Incarnationis millesimo centesimo quinto Nonis Octobris Indictione XIV. (a)

MA	TIL
DADEI	GRATIA
S	I
QUID	EST

Hoc Signo ✠ ✠ Ego Bonus Judex hec firmo.
Ego Gandolfus Judex interfui.
Ego Pandolfus Notarius & Judex interfui & explevi.

NOTAE.

(*a*) Haec indictio mutata est à Septembri; nam toto anno decurrit Indictio tertiadecima. Idem mos Pisis quoque perpetuo observatus, quemadmodum videre est, tum in Chartis allegatis cum asterismo * supra in Notis ad documentum Num. IV. *nota* (*u*), tum in aliis infra deinceps afferendis ad N. XIII. XIV. XVII. XVIII. XXI. XXII. XXIII. XXIV. XXV. XXIX. XXX. XXXI. XXXIII. XXXVIII. XLIV. XLVII. & XLIX. Addo illustre aliud exemplum ex Archivo Canonicorum in Charta quadam Permutationis factae *Regnante Domino nostro Otho gratia Dei Imperatore Augusto filio b. m. Ottonis Imperatoris anno Imperii ejus in Italia undecimo Quintadecimo Kal. Decembris Indictione septima*; Hoc est anno 978. nam Otho II. cum Patre coronam Imperii susceperat in Natali Domini anni 967. ideoque undecimus annus in annum praedictum cadit, qui indictione *sexta* notandus fuisset, nisi mutatio Indictionis praecedenti mense Septembris facta jam esset. Unicum exemplum habeo N. XXXIV. Indictionis in Septembri mense non mutatae; sed cum spectet ad diem *pridie nonas Septembris*, tantummodò confirmat Clariss. Valsechii opinionem in sua *Epist. pag.* 14. & in notis ad secundum ejus Documentum *pag.* 44. expressam, quod illo saeculo à Pisanis non mutaretur Indictio ipsis Kalendis Septembris. Quod vero idem Vir Doctissimus negat factam etiam ejusmodi mutationem post diem XXIV. ejusdem mensis (quam tamen opinionem ipse nunc Pisas reversus, & majori monumentorum copia diligentius expensa, mutasse se asserit, & mecum hac in re sentire se jam fatetur) id refellunt multiplicia exempla, quibus oppositum demonstratur, imo vero innumera, quae adduci possent, si omnes Archivi nostri, nedum aliorum, chartas vacaret excutere. Sanè Codices integros habemus, Acta Monasterii cujuslibet à Notario subinde notata, continua serie exibentes [quae Protocola vocant] in quibus luculenter apparet, quandonam Indictio mutari consueverit. In Actis Maynecti Abbatis, exempli gratia, contractus est celebratus anno Pisano MCCLV. Indictione XII. nono Kal. Octobris: cui immediatè subditur contractus alius celebratus Indictione XIII. eodem anno tertio idus Octobris. Similiter in actis D. Savini Abbatis contractus occurrit initus anno Pisano 1261. Indictione tertia XII. Kal. Octobris: cui succedit contractus alius celebratus eodem anno indictione quarta nonis Octobris. In Actis D. Guidonis Abbatis habetur contractus sub die XIV. Kal. Octobris anni Pisani 1282. Indictione

ctione IX. quem statim alius subsequitur eodem anno, sed indictione X. nonis Octobris stipulatus. In Actis Venturae Abbatis post contractum anni Pisani 1292. Indictione quarta idibus Septembris, habetur alius ejusdem anni indictione quinta idibus Octobris. In actis Joannis de Burgo S. Sepulcri Abbatis sive ejus Vicarii expressè notatum legitur manu Notarii Joanni Rope de Filectulo: *Hic mutatur indictio & dicitur indictio secunda*; cui Rubricae immediatè subscribitur contractus ipso die mutationis celebratus anno Pisano 1334. *Indictione secunda octavo Kal. Octubris*. In Actis denique Dominici de Florentia Abbatis post contractum anni 1428. *Indictione quinta die vigesimo tertio Septembris secundum consuetudinem Pisanorum* similis rubrica subditur: *de cetero dicetur Indictio sexta*, manu Notarii Joannis quond. Andreae Ciampuli, qua totus liber intricatissimo charactere est exaratus: subsequente contractu ejusdem anni *Indictione sexta die nono Decembris* celebrato. Ex quibus abundè patere arbitror, illo saltem saeculo, Pisanos, Caesareo more, primùm die 25. Septembris mutare consuevisse Indictionem, ab Æquinoctio scilicet Autumnali; die 24. civiliter perfecto; id quod ab Anglis quoque usurpatum suo tempore tradit Beda cap. 46. de *Ratione temp.* dicens: *Incipiunt Indictiones ab VIII. Kal. Octobris, ibidemque terminantur*. Nunc tamen ad diem 25. Martii mutationem Indictionis Notarii differunt, ut cum anni initio conveniat. Quid ergo exemplis à Viro Clarissimo in oppositum allatis reponi poterit? Nil aliud, quam quod ipsemet exemplis ejus opinioni, quam tunc habebat, oppositis, nostramque confirmantibus (scilicet anni 1248. ad III. Kal. Decembris Indictione VI. notati, & anni 1259. in Cod. DD. Priorum ad III. Kal. Januarii Indictione II. & anni 1323. ad III. nonas Novembris Indictione VI) respondet *pag.* 15. & 16. mendosum esse Indictionis numerum, aut annum communem pro Pisano usurpatum, vel ex Notariorum arbitrio Indictionis initium aliunde petitum. Quibus adde ejusmodi veterum chartarum Scribas plerumque bardos, & barbaros, ut in grammatica frequenter, ita non rarò in Artis supputatoriae exercitio cespitare potuisse; ac demum homines censendos, qui nec semper sobrii, nec satis aliquando sui muneris aut periti, aut memores essent: neque adeò semper omnem oscitantiae, aut negligentiae culpam à Notariis ablegandam, sed illos aliquando, ipsamet consuetudine numerandi currentem eo anno Indictionem abreptos, numerum eundem continuare potuisse, oblitos limitis diei XXIV. Septembris, in quo terminanda erat illius numeri computatio, atque unitate deinceps augenda: nam & longè patentiores Notariorum errores in consignandis indictionibus conti-

contigisse, non uno exemplo ostendi potest. Sanè in donatione, quam Gerardus filius b. m. Folkeri, & Benedicta ejus uxor huic Monasterio, & Rustico ejus Abbati faciunt anno 1058. *quarto nonas Septembris Indictione duodecima. Actum manu Lamberti Notarii Domini Imperatoris*, manifestum est, excidisse hunc numerum, pro *decima*, quae tunc respondebat anno communi 1057. qui Pisanis 1658. numerabatur. Quin & quandoque ita notata Indictio est, ac si ab ipsis Kalendis Septembris mutata foret. Ut in quodam contractu, quo Bella Vidua Bosi offert portionem suam Monasterio S. Michaelis anno Pisano 1072. *quartodecimo Kalendas Octubris Indictione decima*, cum responderet anteriori parti ejusdem anni, qui est communis 1071. Indictio nona. Et in charta anni 1109. Pisani, cujus supra meminimus in nota (*a*) Documenti IV. ubi dicitur: *octavo idus Septembris Indictione secunda*; Cum reliquo anteriori tempore illius anni prima Indictio decurreret. Nec ideo tamen respuenda sunt ejusmodi monumenta, velut illegitima, ut nonnullis severioribus Criticis in more positum est, cum nullo alio vitio hae Chartae laborent, ac multa intervenire potuerint, quae causam errori dederint, ac variationem illam induxerint: Aliunde autem, quam ex falsa numeri alicujus notatione, quae vel mentis, vel calami lapsu exciderit, chartarum falsitas, & suppositio petenda videtur.

Num. XIII.

Definito cujusdam Controversiae, exacto juramento alterius Partis in favorem Monasterii S. Michaelis

„ Ex Archivo ejusdem Monasterii.

Anno 1106. *Pisano, seu* 1105. *Communi*.

IN Eterni Dei Nomine. Litem moverant filii & nepotes quondam Albane cum Inrico & filiis Zabulini contra Monasterium Sancti Michaelis positum foris Civitate Pise prope portam que dicitur Samuelis de duobus videlicet petiolis de terra positis in maleajo quarum una habet caput in Ausere, & alterum caput in altero unde lis erat & latus unum habet in terra ejusdem Monasterii & al-

& alterum in terra & fossa filiorum Albane. Et secunda petiola duo capita cum uno latere habet in terris ejusdem Monasterii aliud latus habet . . . . Cumque diutius litigium esset protractum tandem placuit mihi & . . . . ut jurejurando finiretur negocium [a] & sicut inter eos & Abbatem conventum fuerat supra eandem terram juravit Pugnerius Gastaldio S. Michaelis secundum recordationem testium plurimorum in animas eorum quod ipse due petiole de terra unde lis erat priusquam ad paludem reverterentur nam antea laboratorie fuerant detente fuerunt ab Ardicione qui fuit Monachus Sancti Michaelis & a Cunrado per . . . suo. Et sic causa finita est in presentia Heinrici & Udibrandi Judicum & Lodovici & Benthonis & Willelmi & Petri . . . . . Causidicorum & Heinrigi quondam Stefani, & Uvillelmi quond. Bonaldi & aliorum quamplurium. Actum anno Dominice Incarnationis millesimo centesimo sexto tertio nonas Novembris Indictione quartadecima.

Ego Ildebrandus Judex Sacri Palatii Lateranensis interfui & subscripsi.

Ego Lodoicus Causidicus interfui & subscripsi.

Ego Petrus Causidicus interfui & subscripsi.

Ego Bentho Causarum Patronus interfui & SS.

✠ Gulielmus Causidicus interfuit & subscripsit.

✠ Henricus Sacri Palatii Notarius & Judex intersui supradicte jurationi & hunc breviculum pro futuri temporis memoria scripsi.

NOTAE.

[a] Disciplina haec, litem finiendi per juramentum, emanasse videtur ex *lib.* 12. *tit.* 2. *Pandectarum lege* 1. ubi legitur: *Maximum remedium expediendarum litium in usum venit jurisjurandi Religio, qua vel ex pactione ipsorum Litigatorum vel ex auctoritate Judicis deciduntur Controversiae.* Nam ut subditur *l.* 2. *eod. tit.* ex Paulo jurisconsulto: *Jusjurandum speciem Transactionis continet, majoremque habet autoritatem, quam Res judicata.*

Num.

Num. XIV.

Investitura quarundam terrarum facta per cochlearium aureum & argenteum Domno Joanni Abbati S. Michaelis à Maginfredo quondam Uvillelmi Judicis.

„ Ex Archivo ejusdem Monasterii.

Anno Pisano 1110. *qui est* 1109. *communis*.

IN Christi Nomine. Breve pro futuris & modernis temporibus securitatem ac firmitatem ad memoriam abenda vel reptinenda qualiter factum est in loco & finibus Ghesiano prope Ecclesia Sancti Michaelis [a] presentia bonorum ominum corum nomina supterleguntur. Maginfredus filius quondam Uvillelmi qui fuit Judex [b] pro se & pro uxore sua Bella pro amore Dei Omnipotentis & pro redemptione peccatorum suorum investierunt proprietario nomine Donnum Joannem Abbatem Sancti Michaelis qui est situs prope portam Samuel per unum coglearium aureum & arienteum de omnibus terris & vineis & Cassinis tam cultis quam & agrestibus & pascuis & de earum pertinentiis & adgiacentiis quas abebant & tenebant in suprascripto loco & finibus Ghetiano & concesserunt predicte Ecclesie Sancti Michaelis omnem usum fructum quem ipsi abebant de predictis terris ut predictus Dominus Johannes Abbas & ceteri fratres qui ibidem Deum militant & pro tempore militabunt abeant & teneant firmiterque possideant ipsi & eorum successores deinceps inrevocabiliter. Et insuper corporaliter in possessione miserunt ad proprietatem ejusdem Ecclesie. Et insuper spoponderunt se e suos eredes aversus predictum Abbatem e suos successores ad cui ipsi dederint & tradiderint ad utilitatem suprascripte Ecclesie quod si umquam ullo tempore de ista rebus agerint aut causaverint vel intentionaverint seu minuaverint adque molestaverint sive per

placito

placito fatigare fecerint & omni tempore taciti & contenti non permanserint quod componere debent a parte suprascripte Ecclesie penam librarum centum arienti optimi. Ipsa investitio, & traditio firma & stabilis permanead semper adque persistant quod si alia aliqua persona contra predicta Ecclesia de suprascriptis rebus aliquam molestiam inde fecerint maledictionibus dicti Sancti Michaelis semper supiacead. Hoc factum est in presentia Ugonis Vicecomitis Boni & Ildebrandi Judicum Folcheri Notarii Uvillelmi quondam Uvinitii Lanfranchi filio Petri Folcardi quond. . . . . . . Leonis quondam Rainerii Bonaccio Castaldo & Bonaccio quondam . . . . Anno Dominice Incarnationis millesimo centesimo, quarto idus Octubris indictione tertia.

Ego Bonus Sacri Lateranensi Palatii Judex interfui & subscripsi.

Ego Ildebrandus Judex Sacri Palatii Lateranensis interfui & SS.

Ego Fulcheri Notarius Domini Regis ibi fuit & hunc breve scripsi.

Supradictus Maginfredus coram predictis testibus ad prehendidit suprascriptum Donnum Johannem Abbatem per manum vice Ecclesie & misit illum IN VACUAM POSSESSIONE [c] pro se & predicta uxore sua ita videlicet ut neque ipsi neque aliqua alia persona in predictis rebus habeat ulterius aliquit jus aut aliquam licentiam que pertinead aut ad proprietatem aut ad possessionem aliquam aut ad usum fructum seu ad . . . . de possessione illa tali quam habebat.

N O T A E.

(a) Ecclesia S. Michaelis Ghesiani, seu de Gessano, quondam Monasterio S. Michaelis in Burgo Pisarum unita, nunc Arni eluvionibus penitus diruta est, cum plerisque bonis ad eam pertinentibus, animarum cura Parochiali S. Joannis Gessani unita.

(b) Ne-

[b] Nescio, an idem hic censendus sit cum Mainfredo quondam Guillielmi, cujus notabile Poenitentiae monumentum sequenti documento num. XVI. continetur.

[c] Phrasis est, quae in Pandectis potissimum, aliquando & in Codice Justinianeo legitur usu pata, non vero in Langobardicis Legibus. Vide notas ad Epistolam nostram *num.* 4 Haec ipsa phrasis recurrit infra in documento *N. XVIII.*

Num. XV.

Venditio cujusdam Ancillae pro solidis XL.

„ Ex Archivo S. Michaelis in Burgo Pisarum

Anno 1113. *Romano, sed* 1114. *Pisano Stylo.*

IN Nomine Domini nostri Jesu Christi Dei Eterni. Anno ab Incarnatione ejus millesimo centesimo quartodecimo pridie nonas Madii Indictione sexta. Manifestus sum ego Ugo filio quondam Actio quia per hanc cartulam vindo & trado tibi Bella filia quondam Bellucci & Lei filio quondam Rainerii idest una Ancilla mea nomine Bellula nata de insula Corsica. predicta ancilla similiter integram vobis eam vendo & trado & pro dicta Ancilla recepi a te Bella meritum anulum unum aureum per solidos quadraginta in prefinito. Unde repromitto ego supradictus Ugo una cum meis heredes vobis suprascriptis Belle & Lei & vestris heredibus aut ei cui vos ista ancilla dederitis vel habere decreveritis ut si nos vobis eam aliquo tempore in aliquo exinde jure intentionaverimus aut retollere vel subtraere quesierimus nos vel ille homo cui nos eam dedissemus aut dederimus per quolibet ingenium. Vel si nos exinde auctores dare volueritis & eam vobis ab omni homine defendere non potuerimus & non defensaverimus. Spondemus nos vobis componere suprascripta Ancilla in dupla persona meliorata sub extimatione qualis tunc fuerit. Sic tamen si nos exinde auctores

nec

nec defensores q. . . . . non fuerimus licentiam habeatis absque nostra persona si vestra fuerit voluntas causas exinde agendi querimoniam faciendi responsum reddendi finem ponendi modis omnibus vobis eam defensandi cum cartula ista vel qualiter juxta legem melius potueritis quia in tali ordine hec scribere rogavi Ildebrandum Notarium Apostolice Sedis. Actum Pisa.

. Signa manuum supradicti Ugoni qui hanc cartulam fieri rogavi.

Signa man. Rodulfi filio quond. Rodulfi & Pagani filio quond. Bruni & Arrigo filio quond. Bonitii Testium

Ego Ildebrandus Notarius Apostolice Sedis post traditam complevi & dedi.

Num. XVI.

Resipiscentia Contumaciae Manfredi de Domo indebitè occupata, & oblatio bonorum suorum Monasterio S. Michaelis.

„ Ex Archivo ejusdem Monasterii

Anno 1114.

IN Nomine Domini nostri Jesu Xpi Dei Eterni. Anno hab Incarnatione ejus millesimo centesimo quartodecimo pridie Kal. Marthii Indictione septima. Notum volo fieri omnibus futuris temporibus ego Mainfredus peccator filius quond. Guilihelmi qualiter recordatus dierum meorum malorum qui per innumerabilia tempora in omnibus iniquitatibus inveteravi & contra Monasterium beati Archangeli Michaelis plurima mala per me & per parentesmeos commisi tum maxime quia Domum juxta idem Monasterium positam sicut Pisanis notum est contra voluntatem Abbatis & Monachorum detinui utpote quia absque freno insensate vivebam. Tandem in me reversus per misericordiam Dei qui mihi compunctionem dedit

dedit confeſſus Sacerdotibus ſceleratiſſimam vitam meam impoſita mihi penitentia ſicut eis placuit per eorum conſilium ad redemptionem peccatis ſupradicte habitationis & iniquiſſime detemptionis dedi tradidi ceſſi Deo & eidem Venerabili Monaſterio ſito prope portam Samuelis omnia que habere & poſſidere videbar tam proprietatis mee quam alicujus detemptionis. Fini via publica uſque in Caccia pertude ut ea omnia ſint ad uſum & commodum in eodem Monaſterio Deo militantium pro remedio peccatricis anime mee & indulgentia peccatorum meorum. Contra quam oblationem ego aut quicum de parentela mea venire voluerint aut ſi exinde diminuere aut retollere aliquid per quolibet ingenio temptaverimus. In primis iram Dei quicunque ex nobis eſt ille incurrat & in judicio future divine examinationis per anathema maranatha pereat. In preſenti autem examine omnem ſupradictam oblationem meam ſe predicto Monaſterio debere componere in duplum recognoſcat & inſuper penam argenti optimi libras cenſum. Quia ſic mihi placuit placet & placebit. Adverſatori hujus mee diſpoſitionis Deus in omnibus adverſetur. Et ideo pro memoria ego Manfredus predictus imperitus litterarum Rodulfum Notarium Apoſtolice Sedis pro me ſcribere rogavi. Actum Oliveti in preſentia Falconis quond. Gerardi & Rollandi quond. Villani & Teperti quond. Martini Teſtium.

Ego Rodulfus Notarius Apoſtolice Sedis ibi fui & hanc Cartulam ſcripſi & manu propria firmavi.

Num.

Num. XVII.

Testamentum Pandulfi filii quond. Ildebrandi in favorem Ugonis Archipresbiteri & Ludovici Abbatis S. Michaelis, & Joannis Rectoris Ecclesiae S. Clementis juxta dispositionem Codicilli subjecti.

„ Ex Archivo Monasterii S. Michaelis.

Anno 1124. Communi, seu Pisano 1125.

IN Nomine Domini nostri Jesu Christi Dei Eterni. Anno ab Incarnatione ejus millesimo centesimo vigesimo quinto tertio nonas Decembris Indictione tertia. Manifestus sum ego Pandulfus filius quondam Ildebrandi quia per hanc cartulam ex hultima voluntate & dispositione pro remedio anime mee in remissione omnium peccatorum meorum dono & trado vobis Domno Ugoni Venerabili Archipresbitero Matris Ecclesie Sancte Marie & Donno Lodoico venerabili Abbati Monasterii Sancti Michaelis & Domno Venerabili Presbitero Johanni Ecclesie Sancti Clementis omnes terras cultas & incultas que mihi aliqua lege vel modo sunt pertinentes in loco & finibus ubi dicitur Caccia Bertrahimi omnes predictas terras in predicto loco pertinentes integras cum inferioribus & Superioribus suis seu cum finibus & ingressionibus suis & cum omni jure inde mihi pertinente ut dictum est vobis eas dono & trado pro quibus a Petro Albithonis pro vestris personis meritum recepi annulum unum aureum imprefinito. Quam meam donationem & traditionem si ego qui supra Pandulfus vel mei heredes vobis qui supra Domno Ugoni Archipresbitero & Donno Lodovico Abbati & Donno Presbitero Joanni vel vestris successoribus aut cui vos eam dederitis retollerimus vel minuaverimus per quolibet ingenium aut si contra ullum meum datum vel factum inde apparuerit & eam vobis ab omni contradicente

M homi-

homine defendere non potuerimus & non defensaverimus. Spondemus nos vobis componere predictam meam donationem & traditionem in duplum in ferquido loco sub extimatione qualis tunc fuerit & insuper penam argenti optimi libras quinquaginta. Et in tali ordine hec scribere rogavi Rodulfum Sacri Lateranensis Palatii Notarium. Actum Pisa in Domo ipsius Pandulfi.

Signum manus suprascripti Pandulfi qui hanc cartulam fieri rogavit.

Signa manuum predicti Petri Albithonis & Guidonis quondam BOLGARI & Alberti quond. Guidi & Sigeri quondam Grymo & Gerardi & Pandulfi filii ipsius Pandulfi testium.

Ego Rodulfus Sacri Lateranensis Palatii Notarius hanc cartulam scripsi & manu propria corroboravi. Ista cartula facta est sub his modis & conditionibus ut si filii mei qui supra Pandulfus vel illorum heredes vel missus qualicunque die ab hodie usque in duobus annis expletis proximis venturis dederint per bonam fidem in potestate predicti Archipresbiteri vel Abbatis vel Presbiteri Johannis octocentos solidos bonorum denariorum expendibilium Lucensis monete hec Cartula donationis inanis sit & vacua. Et in potestate filiorum meorum vel heredum revertatur: & de his denariis volo ut habeat Monasterium S. Michaelis Solidos quatuorcentos. Inter Canonicos & Opera Sancte Marie Solid. centum. Presbitero Johanni predicto Solidos viginti. Ad Pontem Arni Solidos viginti. Alii pro remedio anime mee secundum illorum arbitrium distribuantur pauperibus & S. Locis. Si vero taliter non dederint & non fecerint ut supra dictum est tunc post ipsum transactum Constitutum habeant potestatem predictas terras vendendi alienandi & faciendi inde quicquid voluerint tam omnes simul quam unus illorum qui hanc dispositionem per manum habuerit & dispensandi & distribuendi predictos denarios ut supra legitur. Et promissio cum investitione possessionis ad defendendum que per manum tenet ad penam argenti optimi libras quinquaginta ad suprascriptum datare (a) meritum & testes. N O-

NOTAE.

(*a*) Datare; ideſt ſub eadem data Diei, & anni, quae ſupra legitur. Vide Du-Cangium in hoc vocabulo.

Num. XVIII.

Venditio cujuſdam fundi facta à Segbierio Ciuffo Bernardo Cacalio, juxta conditiones in Poſtſcripto expreſſas.

„ Ex eodem Archivo S. Michaelis.

Anno communi 1137. *Piſano* 1138.

IN Nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Dei & in anno ab Incarnatione ejus milleſimo centeſimo trigeſimo octavo ipſo die Kal. Decembris indictione prima. Manifeſtus ſum ego Seghieri Ciuffo filius quondam Alberti quia per hanc cartulam vendo & trado tibi Bernardus Cacalius quondam Petri una integra petia de terra mea cum ſedio ſuper ſe habente poſita in Faſiano in loco ubi dicitur Plagie que tenet unum caput in via publica alterum caput cum uno latere tenet in terra Ugolini & Vitali ſeu Silveſtri Germani mei & filii quondam predicti Alberti alterum latus in terra filiorum quondam Aſta Orlandi & eſt pro menſura ad juſtam ſeminaturam Siſtariorum unum. Predicta petia de terra qualiter ab omni parte circumdata eſt per deſignata loca in integrum cum inferioribus & ſuperioribus ſuis ſeu cum finibus & ingreſſibus ſuis & cum omni jure & proprietate & actione ſua tibi eam vendo & trado per pretium bonorum denariorum Lucenſis Monete expendibilium numerum ſolidos viginti in prefinito. Quam meam venditionem & traditionem ſi ego qui ſupra Sigheri Ciuffo vel meus heres ſive cui nos eam dediſſemus aut dederimus retollere vel minuere queſierimus per ali-

 quod

quod ingenium tibi qui supra Bernardo vel tuis heredibus haut cui vos eam dederitis vel habere decreveritis. Et si nos exinde auctore dare volueritis & eam vobis ab omni homine defendere non potuerimus & non defensaverimus. Spondimus nos vobis componere istam meam venditionem & traditionem in duplum in ferquido loco sub exstimatione qualis tunc fuerit. Et in tali ordine hec scribere rogavi Raynerium Notarium Apostolice sedis. Actum Oratojo prope Ecclesiam Sancti Angheli.

Signum manus suprascripti Sighieri qui hanc cartulam fieri rogavit.

Signa manuum Morecti quondam item Morecti. Donato quondam Petri; Benedicti quond. Stanvili qui interfuerunt testium.

Rainerius Notarius Apostolice sedis post tradita complevi & dedi.

Suprascripta Cartula facta est eo tenore si ego qui supra Sighieri Ciuffo vel meus heres aut meus missus tibi qui supra Bernardo vel tuis heredibus aut tuo misso patti fuerimus ad dandum & persolvendum qualecumque die ab odie usque ad annos tres expletos proximos venturos idest de argentum solidos viginti bonorum denariorum Lucensium monete expendibilium duodecim denarii per singulos solidos rationatos & exinde per singulum annum solidos quatuor item bonis & eis tibi dederimus & persolverimus suprascripta cartula sit inanis & vacua & in mea redeat potestate. Et si taliter non fecerimus & non conservaverimus per aliquod ingenium tunc inde mea habeatis omnia que supra leguntur per istam cartulam proprietario nomine ad faciendum inde quidquid volueritis absque omni calumnia. Et promissio post transactum Constitutum ad defendendum & qui per manum tenet ad penam argenti optimi solidos sexaginta ad suprascriptam penam ad suprascriptum datare & testes. Et corporaliter investituit eum inde & IN VACUAM POSSESSIONEM misit ad suprascriptam penam ad suprascriptum datare & testes. Et postea recepit eam hab eo precario nomine ad possidendum

usque

usque in predictum terminum & debet inde dare ei pensionem denarii duo per singulum annum.

Num. XIX.

Sententia Balduini Pisani Archiepiscopi inter Canonicos Pisanae Ecclesiae, & Abbatem S. Luxorii.

„ Ex Archivo Canonicorum num. 1036.

Anno 1138. *communi*, & 1139. *Pisano*.

IN Nomine Dei Eterni Amen. Ego Balduinus [a] Pisanorum Archiepiscopus. Ascito in Domino Atone Pistoriensi [b] ex precepto Domini Pape Innocentii [c] consilio quoque Episcoporum Populoniensis & Galtellinensis atque Busani & consilio Domni Giraldi quondam Aurasciensis & Abbatum videlicet S. Zenonis & S. Michaelis de Burgo & Manfredi Causidici. De lite & controversia que versabatur inter Canonicos Sancte Marie Pisane Ecclesie & Abbatem S. Luxorii de Silva que Tumulus vocatur super de quadam parte utriusque partis consensu judicio arbitrioque nostro commissa. Sic ordino atque definio. Si quoniam cum Abbas conquereretur quod Canonici & Nuntii eorum infestabant eum de predicta silva & non permittunt se pacifice possidere. Quam partem silve ostendebat predictus Abbas sibi fuisse concessam ex largitione & donatione Predecessorum nostrorum videlicet Episcopi Gerardi [d] & Daiberti Archiepiscopi [e] cartulis & inscriptionibus ostensis. Et ut hec largitio & concessio a supradictis Episcopis recta firmaque potuisset fieri & quod in dispositione & ordinatione Episcoporum fuisset demonstrabat libellum ab Episcopo Ayone [f] ejusdem terre jam factum quibusdam Presbiteris ibidem manentibus plus centum annorum curricula continentem. Insuper adhibuit testes quamplures confirmantes eundem Abbatem per quadraginta annos quietè sine legali interruptione eamdem

 partem

partem ſilve poſſediſſe unde lis modo vertitur & in eamdem cauſam uſum & utilitatem in ipſis rebus habuiſſe. Preterea adfuit quidam de fidelibus noſtris major natu & bone fame affirmans ſe interfuiſſe & vidiſſe eumdem jam dictum Gerardum Epiſcopum ſuper prefate Eccleſie S. Luxorii illam conceſſionem feciſſe & eamdem terram ab eodem Epiſcopo ſuum ut premittitur pro feudo habuiſſe. Et contra Canonici affirmabant atque reſpondebant uſum & utilitatem in hac eadem parte ſilve per Imperatorem Henricum ſibi privilegio ab eodem facto habuiſſe [g] & quiete ac pacifice abſque legali interruptione per quadraginta annorum ſpatium poſſediſſe: nec non ad confirmationem ſue partis quamplures teſtes ſuper hac re afferebant. Item Domni Lotharii [h] quond. Imperatoris privilegium de ſupradicta cauſa oſtendebant confirmans que ſupradictus Henricus fecerat. Inſuper Apoſtolici Domni Calixti [i] ad eamdem cauſam confirmandam attulerunt Privilegium. Cauſa tandem per iſtrumenta & teſtes atque ſapientes nec non Religioſos Viros cognita per ventilationem & diutinam examinationem cognita divina favente gratia conſilio ſapientum & Religioſorum Epiſcoporum ſcilicet Piſtorienſis Populonienſis Buſani Galtellinenſis & olim Auraſcienſis & plurium Abbatum ſupradictorum utendo. Inſuper authoritate D. Pape Innocentii nobis injungentis quod nequaquam a ſcriptis Predeceſſorum noſtrorum eamdem rem ſupradicte Eccleſie S. Luxorii concedentium pro aliquo ſcripto poſterius oſtenſo non declinaremus. His & pluribus authoritatibus pro Abbate facientibus preſertim cum privilegium Henrici cui Canonici plurimum innituntur nobis pro aliqua macula ſuſpectum videatur. Judico ſi Abbas S. Luxorii fecerit jurare duos aut plures teſtes per quadraginta annos uſum & utilitatem ut in ſuis rebus ſine legali interruptione ex foſſa Salaria uſque ad fauces Arni per Epiſcopos Piſanos in eadem parte ſilve habuiſſe. De cetero Abbas quiete & pacifice habeat & teneat & Canonici ab hac lite quieſcant. Si verò Abbas hoc per teſtes jurare non potuerit,

potuerit, juramenta ex parte Canonicorum suscipiantur. Ita tamen ut Abbas supradictae rei solitum usum per Canonicos non perdat. Ab utraque parte deficientibus testibus, defendat Abbas per Advocatum suum cum plura pro eo faciant supradictam terram per quadraginta annos quiete & sine legali interruptione tenuisse & habuisse. Quo jurato absolvimus. Hoc factum est ab Incarnatione Domini anno MCXXXIX. sextodecimo Kal. Decembris.

✠ Ego Balduinus Pisanorum Archiepiscopus SS.
✠ Ego Bernardus Galtelinensis Episcopus SS. [k]
✠ Ego Joannes Bosensis, Episcopus SS. [l]
✠ Ego R. Populoniensis Episcopus SS. [m]

NOTAE.

[a] Praefuit Balduinus Ecclesiae Pisanae ab anno 1138. ad 1145. quo decessit die sexta octobris sanctimoniae fama celebris, quem & D. Bernardus *Epist.* 244. ad Eugenium III. scribens *Sanctae memoriae Archiepiscopum* appellat; Erat autem S. R. E. Cardinalis, primus ex Ordine suo ad eam dignitatem assumptus ab Innocentio II. Pontifice anno 1130.

[b] Hic quoque sanctitate clarus Praesul Pistoriensis, Vallumbrosanae Familiae jubar eximium, cujus Abbas Generalis olim extiterat, Ecclesiam Pistoriensem rexit ab anno 1133. ad 1153. quo ad Deum abiit die 22. Maii in sua Dioecesi, & Ordine suo Ecclesiasticis Officiis cultus.

[c] Innocentius ejus nominis II. qui ab anno 1130. ad 1143. Catholicae praefuit Ecclesiae.

[d] De Gerardo Pisano Episcopo Ughellus *tom.* 3 ostendit, ab anno 1081. ad 1086. hujus Urbis cathedram tenuisse.

[e] Daibertus Gerardo successit, usque ad annum exeuntem 1104. superstes, qui primus ab Urbano II. anno 1092. Pisanus Archiepiscopus est declaratus.

[f] Nimirum *Actone*, sive Actio ejus nominis II. qui ab anno 1041. ad 1044. sedisse in Pisana Cathedra dicitur. Alius Actius ejus nominis primus floruit circa annum 924. unde bis centum annis, & amplius Balduino antiquior fuisset.

[g] Privilegium hoc refert Ughellus *tom.* 3. in Archiepiscopis Pisanis, ubi de Gerardo, & datum ait 10. Kal. Junii anno 1094. *Indictione 7. anno autem Domini Henrici Regis Quarti Romanorum Impe-*

Imperatoris Tertii Regni 28. *Imperii* 1. Quae notae Chronicae annum 1084. designant, non 1094. ut errore typographico expressum est, nam aliàs de illo Ughellus sub Daiberto, non sub Gerardo verba fecisset. Adhuc retinent Canonici ejus Abbatiae titulum, ac SS. Luxorii, Cissellі, & Camerini festum sub ritu II. Classis celebrant die 26. Augusti.

(*h*) Lotharium II. praecedenti anno 1137. exeunte mortuum intelligit.

(*i*) Nempe Calixti II. Papae, qui ab anno 1119. ad 1124. Ecclesiam universam est moderatus.

(*k*) (*l*) Hi duo erant Episcopi in Sardinia, Bosensis quidem Turritano, Galtelinensis autem Arborensi Archiepiscopo subjecti; Gualdum verò Aurascіensem Episcopum subscripsisse hic non videmus, quod tempore latae sententiae jam ad Superos abiisset, ut ex tenore ipsius colligitur. Qua verò in regione is Ecclesiam rexerit, nondum reperire licuit.

(*m*) Rotlandum interpretor, qui ab anno 1106. ad 1143. Populoniae divinum jus dixit, ex Ughellio *tom.* 3.

Num. XX.

Transactio Guidonis quondam Gerardi cum Martino Abbate Monasterii S. Savini.

„ Ex Archivo Monasterii S. Michaelis
„ in Burgo Pisarum.

Anno 1141. *Romano, seu* 1142. *Pisano.*

EXemplar. In Nomine Dei Omnipotentis Patris & Filii & Spiritus Sancti Amen. Guido Filius quondam Gerardi facio finem ...... transactionem & plenam refutationem tibi Martino Venerabili Abbati de Ecclesia & Monasterio Sancti Savini (*a*) ad partem ipsius Monasterii de omnibus terris cultis & incultis domesticis & agrestibus que fuerint predicti Monasterii S. Savini in loco & finibus Ghezzano & in omnibus aliis locis que mihi pertinent per domum Oddi quondam BULGARI [*b*] & que pertinebant Matile uxori mee cum omni jure & actione & perti-

pertinentia earum ut ab hac hora in antea sit juris suprascripti Monasterii jure proprietario sine contradictione mea meorumque heredum in perpetuum. Pro qua mea traditione fine & refutatione atque transactione ad te meritum recepi anulum aureum in prefinito. Quam meam finem & transactionem atque refutationem si ego qui supra Guido vel meus heres aut ulla nostra summissa persona aliquo tempore de omnibus suprascriptis terris egerimus aut causaverimus vel intentionaverimus seu minuaverimus atque molestaverimus sive per placitum .... ecerimus tibi prenominato Martino Venerabili Abbati vel tuis successoribus aut cui vos dederitis vel habere decreveritis. Et si omni tempore taciti & quieti inde non permanserint aut si nostrum datum vel factum inde apparuerit. Spondeo ego qui supra Guido una cum meis heredibus componere ad partem suprascripti Monasterii S. Savini ejusque rectoribus penam argenti optimi libras centum. Et post penam compositam & exactam supradicta Refutatio finis & transactio non hiccirco .... mutiletur. Unde ego Guido in tali ordine hec scribere rogavimus Bernardum Notarium Domini Imperatoris. Actum Pise infra Ecclesiam Sancti Fridiani anni Domini millesimo centesimo quadragesimo secundo octavo Kal. Madii Indictione quarta.

Signum manus suprascripti Guidonis qui hanc cartulam fieri rogavit.

Ego Balduinus Pisanus Archiepiscopus interfui & SS.

Ego Guido Sacerdos Pisane Ecclesie Canonicus interfui & SS.

Ego ROLLANDUS Pisane Ecclesie Canonicus Diaconus [c] interfui & subscripsi.

Ego Beritho judex Sacri Lateranensis Palatii interfui.

Signa manum Uguccionis quondam Uberti & Lamberti quondam Lamberti .... quond. Tederici .... Ranieri Gualando quond. Ildebrandi Grugnori filio Rolland. quond. Janni Ribaldino quond. Beneck testium.

Bernardus Notarius Domni Imperatoris rogatu suprascripti Guidonis hoc memorialem scriptum scrip.... & manu propria firmavi. **Lam-**

Lamfrancus Notarius Apostolice Sedis authenticum illud vidi & legi & exemplavi.

N O T A E.

[a] Fundatum id in territorio Pisano tribus ab urbe milliariis in loco dicto Cerasiolo, aliàs in Montione, tempore Caroli Magni per Gambertum Abbatem, & Ildibertum, ac Gumbertum Clericum fratres ejus germanos, filios Boni Auricauli, ut in charta fundationis, quam ex Archivo Fontis boni afferam in meis Annalibus Monasticis, cum aliis quamplurimis monumentis. Rogavit illam paginam Martius Notarius, *Regnante Domno Karolo Rege anno Regni ejus in gente Langobardorum sex. die ante Kalendas Maja Indictione tertia*. Quae notae respondent anno 780. In commendam abiit nobile hoc Coenobium, postquam Ordini nostro diutissimè paruisset: mox Religioni Equestri D. Stephani cessit sub Cosmo I. Magno Ethruriae Duce.

[b] Idem videtur hic Oddus fuisse cum Ocdo pariter Bulgari filio, de quo in documento adducto Num. VI.

[c] Hic Rollandus ad summum Pontificatum evectus sub Alexandri III. nomine rexit Ecclesiam. Vide dicta de illo *in Notis ad nost: epist. n.* 14.

Num. XXI.

Balduini Archiepiscopi Pisani concessio Emphytheotica quarumdam terrarum Ildebrando Abbati S. Michaelis.

„ Ex Archivo ejusdem Monasterii.

Anno 1142. *Pisano, seu* 1141. *Communi.*

IN Nomine Domini nostri Jesu Christi Dei Eterni. Anno ab Incarnatione ejus millesimo centesimo quadragesimo secundo tertio Kal. Decembris indictione quinta. Manifestus sum ego Balduinus Dei gratia Pisanorum humilis Archiepiscopus quia per hanc cartulam libellario nomine ad censum perexolvendum dare videor tibi Donno Ilde-

Ildebrando Dei gratia Venerabili Abbati Sancti Michaelis unam integram petiam de terra arabilem de Tumulo prope Ecclesiam Sancti Petri ad gradum [*a*] que est juris Archiepiscopatus Sancte Marie habet unum latus in terra quam similiter per libellum habetis a predicta Ecclesia Sancte Marie [*b*] ambo capita cum alio latere in terra nostra quam nobis reservamus & est per mensuram ad justam seminaturam sistariorum triginta. Hec predicta petia de terra qualiter ab omni parte circumdata & mensurata est per designata loca integram cum inferioribus & superioribus suis seu cum finibus & ingressibus suis ut dictum est vobis qui supra Donno Abbati eam libellario nomine tali ordine damus ut amodo in vestra vestrorumque successorum sit in potestate eam habendi tenendi imperandi gubernandi laborare faciendi & vobis eam privato nomine habendi & usumfructuandi. Et inde vos vestrique successores per vos vel per vestrum missum hic Pisam ad Curiam nostram Archiepiscopatus nobis & nostris successoribus vel ministeriali qui pro tempore ibi fuerit per singulum annum in Resurectionis Pasce denarios bonos expendibiles Lucensis Monete numero duodecim solvere & dare debeatis. Tantum si vos nobis hec omnia taliter adimpleveritis & conservaveritis ut supra dictum est. Et nos vobis istam petiam de terra quam vobis libellario nomine dedimus retollerimus vel minuaverimus vel aliquid vobis superimposuerimus per quolibet ingenium. Spondemus nos vobis componere penam argenti obtimi libras viginti. Et in tali ordine convenimus & duo libella scribere rogavimus Rodulfum Notarium Apostolice Sedis. Actum in Curia Domni Archiepiscopi.

✠ Ego Balduinus Dei gratia Pisanus Archiepiscopus SS.

Signa manuum Alberti & BANDINI germani filii quondam Alberti & Burrara quond. Lamberti & Bonfilii Pilati Testium.

Ego Rodulfus Notarius Apostolice Sedis post traditam complevi & dedi.

N O-

NOTAE.

(a) Tradunt Pisani eo loci appulisse S. Petrum Apostolum; nam maris littus eò perveniebat ac gradus quosdam, excipiendis iis, qui è navigio descenderent, idoneos habuisse creditur, ubi primum lapideum Altare in Italia extructum ab eodem Petro fuisse, persuasum habent; imò & Ecclesiam aliquam tumultuario saltem opere tunc erectam ab Apostolo referunt, ubi certè ejus nomine vetustissimum templum jam visitur, secto, & polito lapide, quarto ab urbe milliario nunc conspicuum, ac summa totius Populi religione, quantùm deserti, & inter Sylvas constituti loci situs, & distantia patitur, excultum, & frequentatum.

(b) Illam tradiderat Petrus, ex Abbate S. Michaelis, Pisanus Archiepiscopus anno 1116. nonis Januarii Indictione nona, ut per chartam in Archivo nostro existentem, manu ejusdem Rodulfi Notarii rogatam constat, eratque ejus mensura *modiorum duo*; sed erat contigua alteri terrae *similiter modiorum duorum*, quae nobis anteriori libello concessa fuerat, ut ibidem dicitur.

Num. XXII.

Venditio cujusdam Turris ab Athulino filio Alcherii facta Ildebrando Abbati S. Michaelis.

„ Ex Archivo ejusdem Monasterii.

Anno 1146. *Romano, seu* 1147. *Pisano.*

IN Nomine Domini nostri Jesu Christi Dei Eterni. Anno ab Incarnatione ejus millesimo centesimo quadragesimo septimo octavo Kal. Octobris indictione decima [a] Manifestus sum ego Athulinus filius quondam Alcherii quia per hanc cartulam vendo & trado tibi Donno Ildebrando Monasterii S. Michaelis de Burgo Abbati ad partem & utilitatem ejusdem Monasterii meam partem integram que est medietas unius petie de terra cum turre super se & voitino post ipsam turrem posita in Burgo Pisane Urbis

Urbis juxta supradictum cenobium cujus unum caput ab occidente situm in prefato Burgo continetur & alterum caput in terra Ildebrandi quondam filii Albithelli latus vero unum à septentrione in classo filiorum quondam Pandulfi & aliud latus coheret terre prescripti Monasterii & est ad justam mensuram . . . . predictam itaque meam portionem integram suprascipte petie de terra cum Turre super se & Voitino post eam medietatem scilicet integram mihi jure pertinentem qualiter ab omni parte circumdata & mensurata est per designata loca in integrum cum inferioribus & superioribus suis seu cum finibus & ingressibus suis & cum omni jure & proprietate & actione sua tibi ut dictum est ad partem suprascripti vestri Monasterii vendo & trado. Pro qua meritum a te recepi annulum unum aureum pro libr. centum nonaginta & solid. decem Lucensium denariorum in prefinito. Quam meam venditionem & traditionem si ego prenominatus Athulinus vel meus heres sive cui nos eam dedissemus aut dederimus retollere vel minuere quesierimus per aliquod ingenium tibi prefato Donno Ildebrando Abbati tuisque successoribus aut cui vos ex parte vestri suprascripti Monasterii dederitis vel habere decreveritis & si eam vobis ab omni homine defendere non potuerimus & non defensaverimus. Spondeo ego una cum meis heredibus componere vobis suprascriptam meam venditionem & traditionem in duplum in ferquido loco sub extimatione qualis tunc fuerit. Et insuper penam argenti optimi libras centum. Et in tali ordine hec scribere rogavi Gallitianum Notarium Domni Imperatoris. Actum infra predictum Monasterium.

Signum manuum supradicti Athulini qui hanc venditionis cartulam rogavit scribi.

Signa manuum Rainerii Bottacci Pisanorum Consulis filii quondam Bernardi. Marignani quondam Martini Alabarba. Glandulfi & Guittardini germanorum filiorum quond. Cilie. Malatacche de Vico quond. . . . . . & Caprilis quond. Johannis de Massa rogatorum Testium.

✠ Ego

✠ Ego BURGUNDI Advocatus interfui & subscripsi.
✠ Ego Manfredus Causarum patronus & P. f. subscripsi.
Ego Gallitianus Domini Imperatoris Notarius post tradita complevi & dedi.

Et investivit eum inde ad proprietatem ad predictam penam & ad suprascriptum datare meritum & testes & precepit ei ut in VACUAM POSSESSIONEM corporaliter intret atque possideat. Preter hec idem Athulinus & Marignanus filius Lutiforii promiserunt ac stipulatione sollemniter facta convenerunt suprascripto Ildebrando Abbati coram prefatis Testibus quod si ipse vel ejus successor aliquam expensam fecerit de placito predicte terre & Turris dabunt & pacabunt ei bonorum denariorum Lucensium solidos quinquaginta. Insuper ipse Marignanus promisit ad penam argenti optimi librarum quinquaginta quod suprascriptam venditionem semper habebit firmam nec ipse vel aliqua ejus summissa persona illam de cetero quomodolibet molestabit. Actum predicto loco & die.

N O T A E.

(a) Ipso die, quo Indictionis mutatio fieri consueverat, juxta dicta supra in notis ad documentum N. XII.

Num. XXIII.

Promissio cujusdam summae sub certis conditionibus a Tedescho & Stephano facta Ildebrando Abbati S. Michaelis.

„ Ex Archivo ejusdem Monasterii.

Anno & die eodem.

IN Nomine Domini nostri Jesu Christi Dei eterni. Anno ab Incarnatione ejus millesimo centesimo quadragesimo septimo octavo Kal. Octobris Indictione decima. Omnibus evidens, ac manifestum sit quia nos Tedescus quon-

quondam Attonis filius & Stefanus quondam Manfredi Mocculelli vocati tibi Donno Ildebrando Monasterii Sancti Michaelis de Burgo Abbati per hanc instrumentalis promissionis cartulam promittimus & stipulatione sollemniter adjecta spondemus quod si condictio illa que continetur in Istrumento vestro Judicati quod Alcherius Pater Athulini quondam fecit in predictum vestrum Monasterium exstiterit & ad effectum devenerit nos vel nostri heredes tibi prefato Abbati tuisque successoribus quadraginta & octo bonorum Lucensium denariorum libras dabimus ac persolvemus. Excepto solummodo hoc casu si Ildebrandus quondam Albithelli filius vel ejus heres illam terre petiam EVICERIT [a] cum turre super se que quondam fuit prefati Athulini & Patris sui posita in Burgo juxta suprascriptum Monasterium & vicerit eam sine pecunia eidem Athulino vel suo Misso exinde tribuenda. Que omnia si ut predicta sunt firma & stabilia non permanserint vel a nobis ingenio quolibet adimpleta non fuerint. Spondemus nos prenominati Tedescus & Stefanus una cum nostris heredibus componere tibi prefato Donno Ildebrando Abbati tuisque successoribus ad partem suprascripti vestri Monasterii penam bonorum denariorum Lucensium libras centum. Et in tali ordine hec scribere rogavimus Gallitianum Notarium Domini Imperatoris. Actum infra suprascriptum Monastarium.

Signa manuum suprascriptorum Tedeschi & Stephani qui hanc promissionem rogaverunt scribi.

Signum manus Raynerii Bottacii Pisanorum Consulis quondam Bernardi.

Marignani quond. Martini Alabarba.

Glandulfi & & Guittardini Germanorum filiorum quondam Cilie & Caprilis quondam Johannis de Massa rogatorum Testium.

✠ Ego Burgundi Advocatus interfui & SS.

✠ Ego Manfredus Causarum Patronus subscripsi.

✠ Ego Gallitianus Domni Imperatoris Notarius prefatis omnibus interfui & hec rogatus scripsi atque complevi.

N O-

N O T A E.

(*a*) Haec quoque phrasis est Pandectarum, ut patet ex *lib.* 21. *Digestorum tit.* 2. *de Evictionibus*.

Num. XXIV.

Concessio Emphytheotica quarundam terrarum facta à Villano Archiepiscopo Pisano Monasterio S. Michaelis, ejusque Abbati Ildeprando.

„ Ex Archivo ejusdem Monasterii.

Anno 1147. *Communi*, *&* 1148. *Pisano*.

IN Nomine Domini nostri Jesu Christi Dei Eterni. Anno hab Incarnatione ejus millesimo centesimo quadragesimo octavo ipso die Kalendarum Octubris Indictione undecima. Manifestus sum ego Villanus Dei gratia Pisanorum humilis Archiepiscopus quia per hanc cartulam libellario nomine ad censum perexolvendum dare videor tibi Donno Ildebrando Dei gratia venerabili Abbati Ecclesie & Monasterio Sancti Michaelis unam integram petiam de terra arabilis de Tumulo prope Ecclesiam Sancti Petri in Grado que est juris Archiepiscopatus Sancte Marie que est posita juxta aliam petiam quam Domnus Balduinus Archiepiscopus predecessor meus vobis per libellum dedit. Que habet ambo capita cum uno latere in terra Sancte Marie quam nobis reservamus & aliud latus in predicta terra quam vobis jam dictus Archiepiscopus per libellum dedit & est per mensuram ad justam seminaturam sistariorum quadraginta (*a*). Hec predicta petia de terra qualiter hab omni parte circumdata & mensurata est per designata loca integram cum inferioribus & superioribus suis seu cum finibus ingressibus suis vobis eam ut dictum est qui supra Donno Ildebrando habbati damus tali ordine ut amodo in vestra vestrorum-

que

que successorum sit in potestate eam habendi tenendi imperandi gubernandi laborare faciendi meliorandi & vobis eam privato nomine habendi & usumfructuandi & inde Vos & vestri successores per Vos aut per missum vestrum hic Pisa ad Curiam nostram Archiepiscopatum nobis & nostris successoribus vel Ministeriali qui pro tempore ibi fuerit ordinatus per singulum annum in Resurectione Pasche denarios bonos expendibiles Lucensis monete numero octo solvere & dare debeatis. Tantum si vos hec omnia nobis taliter adimpleveritis & conservaveritis ut supra legitur & nos vobis suprascriptam petiam de terra quam vobis libellario nomine dedimus retollerimus vel minuaverimus vel aliquid amplius vobis super imposuerimus per quolibet ingenium. Spondemus nos vobis componere penam argenti obtimi libras viginti & in tali ordine convenimus & duo libella scribere rogavimus Rodulfum Notarium Apostolice Sedis. Actum in Curia ipsius Domni Archiepiscopi Villani.

✠ Ego Villanus Pissanorum Archiepiscopus SS.

Signa manuum Signorelli quond. Curradi da Tisano & Gerardi quond. Germundi da Morona & Bernardini quond. Albonelli & Bonfilii Pilati & Bottaleini quond. .... Testium.

✠ Ego ROLLANDUS Diaconus & Canonicus SS.

✠ Ego Presbiter Lambertus S. Petri in Vinculis Canonicus & Domni Archiepiscopi Cappellanus SS.

✠ Et ego Cantarinus Pisanus Cancellarius & Pisane Curie Clericus SS.

Ego Rodulfus Notarius Apostolice Sedis post traditam complevi & dedi.

N O T A E.

(a) Itaque Monasterium S. Michaelis in Burgo ab Archiepiscopali mensa quondam habuit, diuque possedit *Stariora* terrae 358. apud S. Petrum in gradibus; nam Donatio Petri Archiepiscopi superius indicata *in nota* (b) *ad Docum. XXI.* quatuor modia terrarum

rarum nostro Monasterio concessa memorat, quorum unumquodque 72. *Stariora* complectitur, adeoque simul omnia quatuor dant *Stariora* 288. Privilegium Balduini Archiepiscopi supra *num XXI.* relatum superaddit *Stariora* 30. & hoc Archiepiscopi Villani quadraginta insuper elargitur: approbantibus, & confirmantibus Summis Pontificibus Adriano IV. Alexandro III. Honorio III. aliisque in suis Privilegiis eidem Monasterio concessis: ubi nominatim legitur, inter alia bona: *quidquid habetis ab Ecclesia Sanctae Mariae juxta Ecclesiam Sancti Petri in gradu, salvo solito censu Pisani Archiepiscopi*. Nunc cur nihil eo loci Monasterium possideat, non vacat inquirere.

Num. XXV.

„ *Sententia Hermanni Constantiensis Episcopi, & Raimbocti*
„ *Comitis Missorum Conradi III. Imperatoris, qua Canonicis*
„ *Pisanis adjudicatur Sylva S. Luxorii, & in ejus possessionem illi mittuntur.*

„ Ex Authentico apud D. Canonicum de Abramo

Anno 1147. *Romano, seu* 1148. *Pisano*.

IN Nomine Domini Dei Eterni. Imperatoria quidem Majestas unumquemque justitiam & rationem obtinere desiderans Urbes etiam diffidentes ad pristinum amicitie statum reducere satagens Legatos proprios ad id peragendum cum oportuerit mittere non desistit. Quo circa Pisane urbis atque Lucane controversia a Domno Conrado [*a*] Romanorum Imperatore Augusto cognita duos viros strenuos Hermannum videlicet Episcopum de Constantia & Raimboctum filium quondam item Raimbocti Comitem de Ruchin ad eorum pacem & amicitiam reformandam nuper in Tusciam ex industria delegavit. Quibus super nexu pacis prefatarum urbium firmandum commorantibus litem atque discordiam que versabatur inter Canonicos S. Marie Pis. Ecclesie, & Abbatem S. Ruxorii [*b*] audierunt. Inquirentibus autem illis ejusdem Litis causas & rationes viderunt pariter & audie-

audierunt precepta supradictis Canonicis inde facta ab Henrico & Lothario atque Conrado Romanorum Imperatoribus & Mathilda Tuscie Comitissa necnon etiam Privilegium Calixti Romanorum Pontificis. Iis verò diligenter auditis prenominatus Hermannus Episcopus precepit infrascripto Raimberto Comiti ut tam pro se quam & pro ipso ex parte sui vice suprascripti Domini Conradi Imperatoris cujus in Tuscia obtinebant legationem investiret predictos Canonicos ad proprietatem de omnibus predictis juribus vel actionibus que in eorum prefatis continebantur preceptis. Sic igitur ipse Comes cum quam pluribus bonis hominibus comitatus quorum nomina subnotantur perrexit continuo ad locum ubi dicitur Sterpo longo ibique apprehendit per manus Dominum Leonem Pisanorum Archipresbiterum & corporaliter investivit eum tam pro se quam & pro Rodulfo & Lamberto & Bernardo atque Joanne Severino Presbiteris & Ughuccione Diacono Gualfredo & Guidone & Petro atque Lamberto Subdiaconis Ecclesie Pisane Canonicis ibidem presentibus & pro omnibus aliis ejusdem Ecclesie Canonicis usque ad prefati Domni Conradi Imperatoris adventum de ipsis terre petiis cum sylva super se atque sua pertinentia posita juxta Mare & juxta Flumen Arnum & juxta faucem veteris Serchli [e] & juxta Fossam que dicitur Cuccii & de omnibus aliis juribus & actionibus seu proprietatibus que in eorum supradictis continentur preceptis salva tamen omni ratione & justitia Monasterii Sancti Ruxorii. Insuper idem Comes bannum in continenti posuit quod si quis deinceps contra prefatos Canonicos de infrascriptis rebus egerit aut causaverit eosque contra prescriptum modum quomodolibet inquietaverit per se vel summissam sibi personam argenti optimi trecentarum marcarum imperiali pene subjaceat. Actum in supraschripto loco Sterpo longo in presentia & testimonio Uguccionis filii Alberti Gualandi & Ventrilii filii Rainerii atque Leonis quondam Palee Pisanorum Consulum & Alberti Vicecomitis majoris Uguccionis atque Petri de Corvaria & Hermanni de Cornathano Tur-

no Turdii quondam Leonis Sigismundi quondam Henrici Sigismundi quondam Pandulfi & filii ejus Rainerii Bottacci & Bocci filii ejus Canis quondam Hebriaci Calui quondam &c. Gottifredi quondam &c. Guidonis quond. Pandulfi Simeonis quond. Guidonis Bernardi quond. Ildebrandi Ildebrandini quondam Alberti. Anno Dominice Incarnationi. MCXLVIII. decimo octavo kal. Octob. Indictione XI.

Ego Hermannus Constantiensis Ecclesie Episcopus ubi hec per Raimboctum Comitem & Domni Regis Legatum facta sunt interfui & subscripsi.

Ego Raimboctus Comes & Regis Legatus subscripsi.

Ego Ildebrandus Apostolice Sedis Notarius rogatus a supraścripto Raimbocto etiam ex parte Domni Conradi Imperatoris jussus hanc cartulam a me scriptam complevi & dedi.

N O T A E.

(a) Conradus III. Sueviae Dux anno 1138. electus est Lothario II. Successor Rex Germaniae, & Imperator designatus, sed coronam accipere non potuit, dum enim in Italiam descendere meditaretur, Bambergae diem clausit extremum.

(b) S. Luxorium Pisani, mutato L in R appellant *Ruxorium*, vulgò autem magis corrupto vocabulo *S. Rossore*.

(c) Veterem Serclum puto esse alveum illum, quem nunc *Fiume morto* dicimus, quo quidem aquae omnes Borealis agri Pisani in mare exonerantur; nam inter Arnum, & Fossam Cucciam, Flumen mortuum, & Mare Sylva S. Luxorii reipsa continetur. Unde ex loco discimus ter mutatum Aesaris, sive Sercli ostium; nam Rutilii Numantiani tempore, ut olim tempore Strabonis, uterque fluvius post complexam Pisanam Urbem conveniebat. Mox distinctis, sed adhuc proximis, ostiis in mare dimissi sunt: Demum adhuc paulò longius ab Arno in Boream retracta sunt Sercli ostia, & in a veum derelictum aquae, ex Pisanis agris desluentes, compulsae in veteris Sercli fauces convenire, & hoc flumen mortuum constituere. Quamquam nonnullis persuasum est, Serclum ab Aesare, sive Ausere diversum fuisse, & illum semper ab Arno distinctum se in mare exonerasse, hunc verò quondam cum Arno confluxisse, mox in varios rivos divisum [quos nunc etiam *Osari* & *Osaretto* vocamus]

camus] magna ex parte dispersum, atque exsiccatum tradunt, residuis aquis in flumen mortuum deductis. Sed prior sententia magis arridet, tum ob eam denominationem *faucis veteris Sercli*, tum quia Strabo lib. 5. Pisas describens inquit: *inter duos amnes sitae sunt Arni & Aesaris qua illi concurrunt: alter ab Aretio copiosus descendens, sed in tres divisus alveos: alter ab Appennino* [quod non nisi de Serclo interpretari possumus] *& ubi confluunt, alter alterius violento incursu ita se invicem attollunt, ut qui utrisque in ripa stant, alius alium videre non possit;* Quodlicet exaggeratius dictum fateri necesse sit, de copioso tamen, & rapido flumine intelligere cogimur, non de placido, & quieto rivo, collectas ex Pisana planitie, ac exiguis collibus circumjacentibus aquas deferente, ac motu tardissimo flumen mortuum revera constituente; aliàs nullus exaggerationi, aut fabulae, quam Strabo subdit, locus fuisset; *fertur fabula*, inquit, *quo tempore primum illi amnes fuerint à montibus delati, incolis obsistentibus, ne in unum confluentes alveum diluvio agros vastarent, pollicitos fuisse amnes, se eluvionem non facturos, ac stetisse promissis*. Adde, quod & Rutilius Numantianus ipsum Aesarem, sive Auserem, pro insigni fluvio habet, qualis ex multis aliis fluminibus, aequè ac Arnus, coalescens Serclus censeri debet; unde propemodum admiratur, ipsum in Arni confluxu nomen perdere; id, quod de minoribus Arni influentibus, qualis fuisset rivus ille *Osari*, ex solis Pisanis aquis collectus, mirum non esset, ac notari nullatenus merebatur. Expendatur ultimum distichon ex his Rutilii carminibus.

Alpheae veterem contemplor originis urbem,
Quam cingunt geminis Arnus, & Aesar aquis.
Conum Pyramidis coeuntia flumina ducunt,
Intratur modico frons patefacta solo.
Sed proprium retinet communi in gurgite nomen,
Et pontum solus scilicet Arnus adit;

vel ut alii legunt:

Et Pontem solus scilicet Arnus habet.

Denique fluvium per Lucensium regionem tempore D. Frigdiani Episcopi debacchantem, & Viri Sancti ductu aliam viam tenere coactum, S. Gregorius Papa *Auxerem* vocat, ergo è Lucanis montibus, non ex Pisana planitie, aut ejus collium amaenis jugis descendebat fluvius Auxur, sive Aesar Strabonis, & Rutilii tempore sub urbe Pisarum Arnum influens, ac verosimillimum est, D. Frigdianum primum fuisse, qui ab Arno ejus fauces avertens, breviori via, & ad inferiorem terminum, scilicet ad Maris oram, fluvium illum deduxerit, ut Lucenses agros ab ejus eluvionibus liberaret; obiit autem D. Frigdianus

N 3 anno

anno 578. cùm superiori saeculo, puta circa annum 420. Rutilius floreret, adeoque 150. circiter annis post Rutilium Sercli sive Aesaris divisio ab Arno facta supponi potest. Mitto, quod Auxur, sive Aesar inter fluvios praecipuos, & navigabiles Italiae à Cassiodoro recensetur *lib* 5. *Ep.* 20. *&* 17. cum Tiberi, Arno, Mincio, Ollio enumeratus, adeoque non ignobilem rivum agri Pisani constituere poterat.

Superest, ut aliquid de opinione celebris Hydrometrae Laurentii Albitii dicamus, qui in Dialogo de Pisani Territorii exsiccatione promovenda, inter Hydrostaticos Auctores *Tom.* 1. *pag.* 25. Florentiae edito, suadere conatur, Sercli fluxum olim per Blentinae paludem ductum fuisse, indeque cum Arno supra Pisas olim conjunctum, non verò infra hanc urbem cum illo convenisse: Pisanos autem utriusque fluminis eluvionem, ob utriusque nexum, timentes ter mille aureis Lucensi Reipublicae erogatis, ab illa impetrasse, ut Sercli aquae inde diverterentur, atque per proprium ostium in Mare se affunderent, ut scribit Auctor *pag.* 30. Verùm non alios opinionis suae testes Auctor producit, quam nudam Seniorum Pisanae Urbis suo saeculo viventium assertionem, qui & si octogenarii essent, rerumque Patriae suae admodum periti, ad summum de statu horum fluviorum, qualis saeculo quintodecimo, & sub initium sextidecimi erat, idoneum testimonium ferre poterant, non autem de eorumdem fluminum dispositione quinto, vel sexto saeculo, ante mille scilicet annos, quam ii nascerentur; Itaque aliis documentis vetustioribus confirmanda esset illa sententia, ut fidem inveniret; Praesertim cum, si tot saeculis Blentinae Lacum praeterlapsae fuissent aquae ejusdem fluminis Sercli, plurimam ex altis montibus materiam deferentes, illum utique opplere, atque exsiccare penitus debuissent. Sed quoties mutata sit rerum facies, alveis fluminum huc illuc translatis, aut spontè prolapsis, non est meum decernere.

Caeterum Fluminis mortui ostia pariter saepius immutata fuisse testatur Clarifs. D. Benedictus Castellus Abbas Cassinensis, nam in epistola ad P. Franciscum a S. Joseph, sive ad Famianum Michelinum, scripta anno 1642. narrat, quod, cum antea in mare se exoneraret hic fluvius, sub Magno Duce Ferdinando I. adeoque sub exitum sextidecimi saeculi, in Serclum immissus fuerit, tum ipsomet Castello presente ante annos 18. quam haec scriberet, rursus in mare derivatus, scilicet anno 1624. plurimumque obstitit idem Auctor, ne rursus Serclo restitueretur, ut Architectus Bartolottus moliebatur.

Num.

Num. XXVI.

Divisio auctoritate publica facta ab Ugone Familiato de quibusdam Terris, inter Ildebrandum Abbatem S. Michaelis & Tedicium Henricum atque Ugolinum Germanos fratres.

„ Ex Archivo ejusdem Monasterii.

Anno 1152. *Romano, seu* 1153. *Pisano.*

IN Eterni Dei Nomine Amen. Ego Ugo Familiatus publicus Divisor jussione Glandulfi Consulis & Ildebrandi & Gualteri publicorum Judicum facio divisionem inter Donnum Abbatem Ildebrandum Sancti Michaelis & Tedicium & Henrigum atque Ugolinum germanos quondam Herithi de terris positis in loco & finibus Tramarceto, quas detinet Andreas cum filiis suis & Ubertus cum filio suo hoc modo. Pono in unam partem Sedium Andree cum ipso Andrea & Graccio filio suo & Petrum filium predicti Andree reservo in parte Sancti Michaelis quod Sedium computamus Staiora sex & cum ipsa parte pono Staiora duo de terra & panoros novem a latere orientis in campo de ploppo & unam petiam de terra ubi dicitur Quarre que est Stariora duo & panori quinque & unam aliam petiam de terra ibi prope ubi dicitur similiter Quarre que est Stariora duo & panori decem & tertia unius panori. Et unam aliam petiam de terra ubi dicitur Salsinetum que est stariorum unum & panori sex & in ipsa parte pono panoros septem & quintam infra unam petiam de terra que dicitur Vignale de Stracciario a capite Orientis. In alia verò parte pono Sedium Uberti cum ipso Uberto & filio suo quod est Stariora tria & in ipsa parte pono Stariora tria de terra de Ortale juxta Se & Stariora duo de terra & panoros novem ex parte occidentis in campo de ploppi & Stariora quatuor & panoros quatuor minus quinta Panori infra unam petiam de terra que dicitur Vignale de

 Stac-

Stacciario a capite occidentis & ipsa parte pono campum & ortum Arlende qui est Stariora tria & panori sex & tertia. Item divido octo petias de terra quas tenet Marculus hoc modo. Pono pro quarta parte Tedici & Fratrum petias tres de terra una que dicitur Sagginale alia ubi dicitur Vinee tertia in via de Palude & si eis non placueritpono ut ipsi habeant potestatem accipiendi quartam partem de predictis octo petiis de terris a quocunque latere voluerint. Postea vero predictus Tedicius & Henrigus Frater ejus pro se & Ugone Fratre eorum receperunt in Partem Sedium predicti Uberti cum ipso Uberto & filio suo & cum terris omnibus ad ipsam partem positis & pro eorum quarta parte de terris quas tenet Marcus receperunt tantum infra una petiam terre de Mandrilia ex parte . . . . . . quantum tota quarta pars de predictis octo petiis de terris per mensuram inventa fuerit & dederunt & tradiderunt in sortem divisionis predicto Donno Ildebrando Abbati predictum Sedium Andree cum filiis suis & Vignale quod est juxta predictum Sedium Uberti quod est Stariora tria & panori octo & in Campo de ploppi Stariora tria & panoros undecim. Et predictam petiam de terra que dicitur Quarre que est Stariora dua & panori quinque. Et unam aliam petiam de terra in ipso loco Quarre que est Stariora duo & panori decem & tertia pars unius Panori. Et unam aliam petiam de terra ubi dicitur Salsinetum que est Stariorum unum & panori sex & jam dictos panoros septem & quinta infra Vignale de Stracciaro que dicitur Secciule. Item dederunt ei omnes alias terras quas tenet Marcus positas in Arena & in Mandrilia. Item pono si predicte petie de terra plus vel minus per mensuram invente fuerint, debeant adequari per rationem inter utrasque partes juxta se Actum in Porticu Sancti Michaelis presentia Testium suprascripti Glandulfi Consulis & Guittardini germani sui. Pandulfi quondam Rustichi. Guittimanni filii Rathonis. Vitalis quondam Johannis. Bruni quondam Petri. Marchi quond. Benedicti. Anno Dominice Incarnationis millesimo centesimo quinquagesimo tertio. quartodecimo Kal. Decembris indictione prima. ✠ Ego

✠ Ego Ildebrandus Advocatus & nunc Judex Pisanus prediƈtam divisionem fieri jussi & hic subscripsi.

Ego Gualterius Causarum patronus & nunc publicus Judex prediƈtam divisionem fieri jussi & hic SS.

✠ Ego Glandulfus Rodulfi Consul hanc divisionem fieri jussi & subscripsi.

✠ Ego Gatta bianca Consul SS. ✠ Ego Gerardus Consul SS. ✠ Ego Petro Consul SS. ✠ Ego Ildebrandus Ildebrandi Consul SS. ✠ Ego Vicano Consul SS. ✠ Ego Maimone Consul SS.

✠ Ego Ventrilius Consul SS. ✠ Ego Ardecata Consul SS. ✠ Ego Lambertus Consul SS.

✠ Ego Gerardo Episcopi Consul SS. ✠ Ego Rustico Consul SS. ✠ Ego Sigherius Consul SS. ✠ Ego Borgo Consul SS.

Ego Ugo Familiatus hanc divisionem jussione Glandulfi Consulis & prediƈtorum Judicum feci & complevi & dedi.

Postea vero fuit faƈta mensura diƈtarum terrarum & invenimus quod suprascripta Ecclesia habet in Sedio Andree Stariora quinque & panori decem minus quinta. Et in Ortale juxta Sedium Uberti Stariora tria & panoros septem minus quarta. Et in campo de populi Strariora tria & panoros undecim & sexta. Et Ale Quarre Stariora tria panoros duo & dimidium. Et in eodem loco Quarre Stariora duo & panoros decem minus tertia. Et in Salsineto Stariorum unum & panoros sex & quarta.

Num.

Num. XXVII.

Venditio facta Uberto Abbati S. Zenonis cujusdam terrae à Guidone & Aguina jugalibus.

„ Ex Archivo D. Canonici de Abramo.

Anno 1153. *Romano, &* 1154. *Pisano.*

IN Nomine Domini nostri Jesu Christi Dei Eterni. Anno ab Incarnatione ejus millesimo centesimo quinquagesimo quarto. Idus Aprilis Indictione prima. Manifesti sumus nos Guido filius quondam Semundi, & Aguina jugalis ejus & filia Morecti quia consentiente mihi predicte Aguine Viro meo sub notitia & interrogatione supradicti Morecti & Ildebrandi quondam Johannis consanguineo meo videlicet nulla intercedente violentia set pura & bona voluntate secundum edicti paginam per hanc cartulam comuniter & consentientes vendimus & tradimus tibi Uberto humilis Abbas Ecclesie & Monasterio Sancti Zenonis unum Stariorum de terra ad justa seminatura infra unam petiam de terra cum orto de arboribus & terra arabilis insimul comprehensa que videtur esse posita in loco & finibus Rena que tenet unum caput cum uno latere in terra de nepotibus quondam BOLGARELLI aliut caput tenet in terra Guarnieri Piliciarii aliut latus tenet in terra de filiis quondam Bethe & est ipsa integra petia de terra per mensuram ad justa seminatura Stariora tres. Predictam petiam de terra qualiter ab omni parte circumdata est & mensurata per designata loca unum stariorum de terra ut dictum est cum inferioribus & superioribus suis seu cum finibus & ingressibus suis & cum omni jure & pertinentia sua tibi eam vendimus & tradimus. Pro qua ad te pretium recepimus bonorum denariorum Lucensium solidos quadraginta in prefinito. Quam nostram venditionem & traditionem si nos qui supra jugales vel nostri here-

heredes ſive cui nos eam dediſſemus aut dederimus retollere vel diminuere queſierimus per aliquod ingenium tibi qui ſupra Uberto Venerabili Abbati tuiſque ſucceſſoribus aut cui vos dederitis vel habere decreveritis. Et ſi nos exinde Auctores dare volueritis & eam vobis ab omni homine defendere non potuerimus & non defenſaverimus Spondemus nos vobis componere ſupraſcriptam noſtram venditionem in duplum in ferquido loco ſub extimatione qualis tunc fuerit. Et inſuper penam argenti optimi libras tres. Et in tali ordine hec ſcribere rogavimus Bernardum Notarium Domini Imperatoris Actum in Curte Sancti Zenonis.

Signa manuum ſupraſcriptorum jugalium comuniter & conſentientes qui hanc cartulam fieri rogaverunt.

Signa manus ſupraſcriptorum Morecti & Ildebrandi proximorum ſupraſcripte Aginne qui eam interrogaverunt.

Signa manuum Ildebrandi quond. Pagani de Sancto Savino & Beniamin Nepotis ejus & Bernardi Rubei quond. Uberti Teſtium.

Supraſcripti jugales comuniter & conſentientes inveſtiverunt Ugonem quond. ſupraſcripti Pagani Caſtaldio eiuſdem Ecclesie vice Domni Uberti Abbatis Sancti Zenonis de ſupraſcriptum unum Stariorum de terra ad juſta ſeminatura ad proprietatem ad ſupraſcriptam penam ad eumdem datare meritum & Teſtes.

Ego Bernardus Notarius Domni Imperatoris poſt traditam complevi & dedi.

Num.

Num. XXVIII.

Sententia Villani Pisani Archiepiscopi inter Abbatem S. Michaelis, & Plebanum Sanctae Juliae de Caprona, super Capella S. Christophori Colignolae.

,, Ex eodem Archivo S. Michaelis.

Anno 1155. *Communi, seu* 1156. *Pisano*.

IN Nomine Sancte & Individue Trinitatis. Amen. Quoniam omnium habere memoriam, & in nullo peccare potius divinitatis quam humanitatis est. Idcirco ego Villanus in Christi nomine Pisanus Archiepiscopus litem & controversiam de Capella Sancti Christophori de Colongiola inter Monasterium Sancti Michaelis & Plebem Sancte Julie de Caprona diffiniens ipsius nostre definitionis sententiam tenacibus litteris memorie mandare decrevi. Allegabat siquidem Sancti Michaelis Abbas Ecclesiam Sancti Christophori de Coloniola suam esse quoniam in suo allodio edificatam eam esse dicebat unde publicum afferebat instrumentum eaque ratione se illius Ecclesie Patronum esse affirmabat (*a*). Preterea Sacerdotes a quinquaginta anni retro ibidem a suis Antecessoribus esse collocatos & abstractos & in delictis correptos & quidquid ex illa Ecclesia habere voluisset accepisse. Afferebat quoque quoniam Capella de Mezzano destructa est quod inde lapides & ligna & Sanctorum reliquias sui Antecessores abstulerunt & in Ecclesia de Coloniola tamquam in sua posuerunt. Et de his Abbas cum juramento suos protulit testes. Plebanus vero Sancte Julie de Caprona ex sua parte affirmabat quod sui Antecessores cum voluntate populi illius loci in prefata Ecclesia de Coloniola Sacerdotes tanquam in sua ponebant & illi Sacerdotes Plebanis qui pro tempore in Plebe Sancte Julie de Caprona erant in Letaniis in Collectis & Mortuorum obsequiis & in his inqui-

in quibus Sacerdotes ex suo officio subjectionem suis majoribus prestant reverentiam exhibebant. Et exinde testes Plebanus protulit cum juramento. His itaque utriusque partis auditis allegationibus & causa in nostro ventilata conspectu & cognita cum consilio Canonicorum nostrorum & Assessorum videlicet Carpini Manfredi BURGUNDII hujusmodi dedimus Sententiam Ut Abbas Sancti Michaelis Cappellanum cum in illa Ecclesia de Coloniola intromittendus est inveniat & eum Plebano representet. Plebanus vero si eum canonice recusare non poterit Parochie curam cum Abbatis consilio illi Sacerdoti committat. Et Sacerdos ipse de temporalibus ad Monasterium specialiter pertinentibus respondeat Abbati. Plebano vero de Spiritualibus respondeat. Spiritualia autem intelligimus. Vivorum & Mortuorum oblationes decimas & primitias. Et alia que sunt Spiritualia. Siquis autem contra hanc nostre definitionis sententiam venire temptaverit. Et eam temerario ausu corruperit sit Anathema Maranatha & habeat portionem cum Juda Traditore. Observantibus autem sit pax & eterna remuneratio in die justi Judicii & revelationis Domini nostri Jesu Christi.

Huic facto interfuerunt Giandolfus de Cilia & Henrigus quond. Henrici de Caprona.

Ego Villanus Pisanus indignus Archiepiscopus huic sententie a me date SS.

Ego Guido Presbiter Assessor interfui & SS.

Ego BURGUNDIUS Sacri Lateranensis Palatii Judex & nunc publicus Pisanorum Judex & in hoc judicio Domni Villani Archiepiscopi Assessor in hanc sententiam meo consilio datam SS.

Ego Manfredus Sacri Lateranensis Palatii Judex & Domni Villani Assessor Archiepiscopi in hac sententia SS.

Ego Carpinus Causarum Patronus & Domni Villani Archiepiscopi ex hoc negotio unde hec sententia lata est Assessor SS.

Hoc factum est in Curia Domni Villani Pisani Archiepiscopi anno ab Incarnatione Domini MCLVI. Indictione III. juxta Ecclesiam S. Georgii. NO-

NOTAE.

[a] Anno 1155. quarto nonas Octobris Adrianus Papa IV. in Privilegio concesso huic Monasterio, confirmat inter alia *jus vestrum in Ecclesia Sancti Christophori de Colignola cum integris Parochiis & Dioecesibus suis*; eademque clausula est in Privilegio Alexandri III. dato 6. idus Aprilis 1180. & in alio Honorii III. Nonis Novembris 1217. Nunc quis rerum status sit, praetereo dicere.

Num. XXIX.

Venditio quarundam terrarum Gerardo Abbati S. Michaelis facta à Bandino Filio Gerardi Orcioli.

„ Ex eodem Archivo S. Michaelis.

Anno 1164.

IN Nomine Domini nostri Jesu Christi Dei Eterni. Anno Dominice Incarnationis millesimo centesimo sexagesimo quarto Quarto Idus Januarii Indictione duodecima. Manifestus sum ego BANDINUS filius Gerardi Orcioli quia per hanc cartham vendo & trado tibi Gerardo Dei gratia Venerabili Abbati Ecclesie & Monasterii Sancti Michaelis de Burgo ementi nomine suprascripte Ecclesie tres integras petias de terris in loco & finibus Colignole positas prope Ecclesiam Sancti Christophori. Prima quarum posita in loco quo dicitur Iscla prope locum qui vocatur Classus cujus unum caput orientis cum latere meridiei in terra Glandulfi de Cilia & Turrilliani ejus nepotis quondam Guitardini tenet aliud caput . . . . . latus alterum aquilonare in terra Teste & fratrum quond. Bernardi Moronti continetur. Secunda petia posita est in loco quo dicitur Sterpetum. Caput a meridie in terra Martini Biscii & BANDINI de bono barone tenet. Aliud caput

vie

vie publice dicte Traversagne jungitur. Latus occidentis in terra suprascripti BANDINI & Uberti Mocci & Episcopatus Sancte Marie. Alterum latus terre Villani & Silvani germanorum quondam Gerardi Mindentis & Manfredi de Asciano quond. Corsi & Alboni & Godi germanorum quondam Rolandi & Malele & Tancredi germanorum quondam Guidonis. Tertia petia posita est in loco quo dicitur Fornarium. Caput a meridie in via publica Traversagna. Aliud caput tenet in terra Viceecomitum majorum. Latus unum jungitur terre Teste quondam Bernardi & Strambi quondam Hugonis, & Alerii quond. Soffredi & Seta quond. Alboni & iterum Strambi quondam Ugonis. Alterum latus in terra Ansurini quond. Bernardi & Rasverzi fratris ejus & Boni accorsi quond.. Marignani de Barba & Guitardini & fratrum quond. Ropthi & Manfreduccii de Asciano quond. Corsi & est via dicta vicinaja in medio. Predictas itaque tres petias de terris qualiter ab omni parte circumdate sunt per suprascripta loca tibi jam dicto Gerardo Dei gratia venerabili Abbati pro jam dicto Monasterio ementi & ejus nomine vendo & trado. Pro qua vero mea venditione & traditione confiteor . . . . . cepisse a te nomine certi pretii danti pro subrascripto Monasterio libras triginta & sex bonorum denariorum pisane vel Lucensis monete. Quam . . . . ditionem & traditionem si ego jam dictus BANDINUS vel mei heredes sive cui eam nos dedissemus aut dederimus retollere vel subtrahere aut minuere . . . . . . quesierimus quolibet ingenio tibi jam dicto Gerardo Abbati vel tuis successoribus aut cui eam dederitis vel habere decreveritis & si me vel meos . . . . successores vel meos heredes exinde actores vel defensores dare volueritis & eam vobis ab omni homine defendere non potuerimus & non defensaverimus Spondeo me meosque heredes stipulatione sollepniter interposita tibi jam dicto Gerardo Abbati tuisque successoribus componere suprascriptas res in duplum in consimili loco sub extimatione quales tunc fuerint. Et sic precipio tibi sepe dicto Gerardo pacifico Abbati ut pos-

poſſeſſionem jam dictarum petiarum de terris corporaliter & nomine ſupraſcripti Monaſterii intres eaſque corporaliter & nomine jam dicti Monaſterii poſſideas & poſſeſſionem quam inde habes ſupradicti Monaſterii nomine apprehendi tibi confirmo ratamque habeo. Hec omnia taliter ego commemoratus BANDINUS ſcribere rogavi Marignanum Judicem & Notarium Donni Frederici Romanorum Imperatoris. Actum Piſis in foris porta in parlatorio ſupraſcripti Monaſterii.

Signum manus ſupraſcripti BANDINI qui hanc cartham fieri rogavit.

Signa manuum Freſcionis quond. Alberti. Silveſtri & Rainerii quond. Leonis & Siſmundi quond. Manfredi rogatorum Teſtium.

Poſt hec verò eodem anno & indictione jam dicta quinto Kal. Februarii Gerardus Orciolus quondam Oddi & Adaleita jugalis ejus filia quondam Maſſulini Caradonne & ego Matilda jugali ſupraſcripti BANDINI & filia quondam Sinibaldi de Clericis quia conſentiente mihi jam dicte Adaleite ſupraſcripto Gerardo Viro meo & mihi prefate Matilde ſupraſcripto BANDINO Viro meo conſentienciente cui conſentiente ſupraſcripto Gerardo Patre ſuo. Ubi etiam interfuit notitia Marignani Judicis Domni Imperatoris a quo ſecundum legem interrogate ſumus & cognite nullam nos pati violentiam ſed pura & integra bona noſtra voluntate ſecundum edicti paginam predictam venditionem quam ſupraſcriptus BANDINUS fecit jam dicto Abbati Gerardo ſupraſcripti Monaſterii Eccleſieque Sancti Michaelis de Burgo tibi Burgo Sindico jam fati Monaſterii & ejus nomine recipienti confirmamus & omni juri & rationi & ſpecialiter JURI HYPOTHECARUM que in jam dictis petiis nobis competebant tibi eidem renunciamus & de omni jure vel actione ſive petitione quecunque nobis vel alicui noſtrum in jam dictis petiis de terris competebant & inſuper finem & refutationem atque dationem facimus. Nec inde umquam imbrigabimus vel moleſtabimus jam dictum Abbatem vel ejus Succeſſores vel

cui

cui dederit vel habere decreverint. Et si contra ea que dicta sunt aliquo modo fecerimus promittimus nos nostros que heredes stipulatione sollepni tibi Burgo tuisque successoribus penam libras quadraginta bonorum denariorum nostre nunc currentis monete. Acta sunt hec similiter Pisis in Forisporta juxta Ecclesiam & Canonicam Sancti Petri in Vinculis ante domum meam jam dicti Gerardi Orcioli in presentia & testimonio Panis & Vini quondam Petri & Bocce in barilis & Alexii quond. Petri & Vesvii quond. Villani & Strambi quond. Dominici & Petri quondam Bodi rogatorum Testium.

Ego Marignanus Notarius Donni Frederici Romanorum Imperatoris & his ut Judex interrogans interfui & hanc cartam scripsi complevi & dedi.

Num. XXX.

Concessio Libertatis Famulae nomine Furatae (a) *facta ab ejus Dominis Petro & Landa jugalibus*

„ Ex Archivo S. Michaelis Pisarum.

Anno 1171. *Communi, seu* 1172. *Pisano*.

IN Nomine Domini nostri Jesu Christi Dei Eterni. Anno ab incarnatione ejus millesimo centesimo septuagesimo secundo Indictione quinta pridie Idus Decembris. Petrus quondam Janni & Landa ejus uxor & filia quondam Alberti communiter & consentiente sibi suprascripto Viro suo sub interrogatione Petri de Embulo ordinarii Judicis a quo secundum legem interrogata & cognita fuit nulla pati violentia sed pura & integra ejus bona voluntate secundum edicti paginam per hanc cartulam propter Dei amorem & remedium anime nostre & pro liberali & accepto servitio nobis à furata Famula nostra dato liberamus & absolutam facimus eam ab omni jugo & vinculo servitutis ut plenissime sit libera & absoluta quod ne-

Embulum pro Empulo.

O que

que jure patronatus neque ullo alio modo nobis ſubjaceat ſed potius amodo cum omnibus rebus quas habet vel habitura eſt & cum omnibus qui de ea geniti vel procreati fuerint libere moremini & vadat & habitent ubicunque placuerit eis ipſa & ejus heredibus & eorum res Si contra iſtam libertatem a nobis qui ſupra jugalibus tibi ſupraſcripte Furate datam nos venerimus vel noſtri heredes vel alia aliqua a nobis ſummiſſa perſonam contra te vel tuis heredibus vel ullas res veſtras moleſtaverimus vel inquietaverimus aliquo modo. Promittimus nos per ſtipulationem noſtroſque heredes compoſituros tibi ſupraſcripte Furate & tuis heredibus penam argenti optimi marcas centum. Pena ſoluta & hec cartula libertatis firma manente. Et in tali ordine hec ſcribere rogavimus Petrum Judicem & Notarium de Embulo ſupraſcripto. Actum Piſis Porta aurea in Domo Sancti Frediani prope ipſa Eccleſia. Et confeſſi ſumus nos qui ſupra jugales te Furatam in manum presbiteri Ugonis de ſupraſcripta Eccleſia pro libera miſiſſemus. Hoc factum eſt in preſentia & teſtimonio Piloſi quondam Bulli & Ugolini ejus filii & Vogili quondam Alberti & Bellomi quondam Martini & Scotti quondam Scotti qui interfuerunt ad hec libertatem datam rogati Teſtes.

Ego Petrus ſupraſcriptus Domni Frederici Romanorum Imperatoris Judex Ordinarius & Notarius interrogans interſui & rogatus ut ſupraſcriptum eſt hanc Cartulam libertatis ſcripſi complevi & dedi.

N O T A E.

(a) In tergo hujus membranae ſuperſcriptus videbatur hic titulus: *Cartula libertatis Furate filie Torchitorii Diudicatoris de inſula Sardinie.*

Num.

Num. XXXI.

Sententia Cerini & Ildebrandi Familiati Pisanorum Judicum favore Monasterii Sancti Michaelis contra Bonacursium Tutorem Henrici detinentem quandam terram ipsius Monasterii.

„ Ex Archivo dicti Monasterii.

Anno 1172. *Pisano, sed* 1171. *communi.*

IN Eterni Dei Nomine Amen. Nos Cerinus & Ildebrandus Familiatus publici Pisanorum judices ad Caussas publicas & privatas diffiniendas a Consulibus Pisanorum electi. Reclamationem factam a Burgo Sindico Sancti Michaelis de Burgo pro ipsa Ecclesia adversus Bonaccursium quond. Uberti Mocchi tutorio nomine pro Henrigo pupillo suo de uno petio terre posito in Ghetiano cujus unum caput tenet in via publica aliud in terra Sancti Michaelis & Sancte Marie & Rainaldi quond. Siberti. Latus in terra S. Michaeli aliud in terra Guerischii & ejus consortium. Sic decidimus. Cumque predictus Bonaccursius tutorio nomine a nobis admonitus pro suprascripto Henrigo pupillo suo & ex peremptorio edicto citatus esset ut ad justitiam faciendam predicto Burgo Sindico pro dicta Ecclesia de suprascripto petio terre veniret contumax existens non venit. Et facta inquisitione parentum & vicinorum ut suprascriptum Henrigum defenderent qui non venerunt. Unde nos judices ut suprascriptus Burgus Sindicus pro suprascripta Ecclesia mittatur in possessionem suprascripti petii terre itaut possideat & nostro jure civili in possessorio judicio adversus eum & suprascriptum pupillum semper potior existat & numquam amplius possessorio judicio ab ipsis contumacibus inquietetur pronunciamus. Data & recitata Pisis sub Ecclesia Sancti Ysidori in presentia Opithonis Judicis & Gaitani filii BURGUNDIONIS

 & Ilde-

& Ildebrandi de Mercato & Rodulfi quondam Petri Advocatorum & Cerconis quond. Gaitani & Ildebrandi Marchii & aliorum multorum. Dominice Incarnationis anno millesimo centesimo septuagesimo secundo Indictione quinta quarto Kal. Januarii.

✠ Ego Cerinus publicus Judex in hac sententia subscripsi.

✠ Ego Ildebrandus familiarus tunc Projudex in hac sententia subscripsi.

Ego Pan ..... Donni Imperatoris Frederici Notarius & nunc suprascriptorum publicorum Judicum Cancellarius hanc sententiam eorum mandato scripsi.

Postea eodem anno & indictione suprascripta tertio Kal. Januarii Turrifcianus Justitie Consul misit prefatum Burgum Sindicum corporaliter & nomine jam dicte Ecclesie Sancti Michaelis in possessionem suprascripte petie terre contra suprascriptum Bonaccursium sicut in suprascripta sententia contumacie continetur me Guinibaldo Scriba Notario presente & Gerardi Nuntii suprascriptorum publicorum Judicum & Ramaldi quondam Sigerii & Strambi quondam Ugolini & Rolandi quondam Lamberti & Hondi quond. Albertini & Opithonis quond. Bujamontis presentibus & specialiter ad hec rogatis Testibus.

Ego Guinibaldus Scriba Notarius Donni Imperatoris his omnibus interfui & ideo ad memoriam habendam & in posteris conservandam hanc cartam scripsi complevi & dedi.

Num.

Num. XXXII.

Sententia Uguccionis Familiati & Ildebrandi Belaċte de quibusdam Vineis Monaſterio S. Michaelis relaxandis.

„ Ex Archivo ejuſdem Monaſterii.

Anno 1171. *Communi ſeu* 1172. *Piſano*.

IN Eterni Dei Nomine Amen. Nos Uguccio Familiatus & Ildebrandus Belaċte publici Piſanorum Arbitri ex reclamatione Burgi Sindici Monaſterii Sanċti Michaelis de Burgo contra Francardum & Fratrem ejus & contra Bucchiam & contra Alpheum filium quond. Guidonis de Silva lunga de terra & vinea ſuperflua videlicet valente de quatuor quinque & de reſtauro muſti primi anni quo eam tenuerunt uſque nunc. Et hoc totum ſecundum quod arbitratum & judicatum fuit a Peccio & Heritone & Guerriſio tunc arbitris inquiſitis a vobis ſupraſcriptis Francardo & Bucchia & Alpheo pro ſe & ſociis eorum. Menſuravimus concordia ſupraſcripti Alphei vineam Sanċti Michaelis quam Alpheus tenebat poſitam ſupra caſtellum quam invenimus Stariora triginta quinque & panoros quinque & dimidium & denarios undecim. De qua Alpheus debet reddere Monaſterio Sanċti Michaelis inter ſuperfluam de quattuor quinque quam tenebat & reſtaurum fruċtus Stariora quinque & panoros duos. Que Staiora quinque & panoros duos dicimus concordia Alphei ut ſupradiċtus Burgus Sindicus pro ſupraſcripta Abbatia habeat de ſupradiċta vinea ex parte meridiei quod caput eſt pertiche undecim minus pes unus. Et inſuper concordia ſupraſcripti Alphei pronunciamus ut ſupraſcriptus Sindicus & ceteri homines qui ab Abbatia eam tenuerunt habeant poteſtatem eundi & redeundi implendi & evacuandi ipſam vineam quam Abbatie reverti dicimus per aliam quam ſupraſcriptus Alpheus tenet ex parte aquilonis.

Eissano

Item ivimus concordia Francardi & mensuravimus vineam Sancti Michaelis que est in Getthano quam Francardus & socii ejus tenent quam invenimus Stariora quadraginta de quibus debent reverti ad Ecclesiam per arbitrium Peccii & sociorum ejus Stariora quinque & pro restauro musti & Canne de primo anno quo totam vineam vindemiaverunt Stariora duo & panori duo. Excepto de ea quam tenuit Ubertus Notarius & de parte Uberti Mocchi per sententiam publicorum Judicum Stariora tria minus panorus unus & dimidium. Est igitur insimul illa que non ad Ecclesiam revertitur de illa quam tenebat suprascriptus Francardus cum Sociis Staiora decem & medius panorus. Que Stariora decem & medius panorus dicimus & pronunciamus concordia Francardi ut prefatus Burgus Sindicus pro suprascripta Abbatia habeat juxta illam quam tenet Francardus cum Sociis suis. Et habeat eam ex parte aquilonis juxta illam quam Bucchia tenet hoc videlicet modo a capite Strade pertichis septem & uncias septem minus quartam uncie. Et ab alio capite pertichis septem & pedes quatuor & uncias septem & dimidiam. Et currit in longitudinem inter totam pertichis nonaginta. Item inquisito Bucchia qui non venit ivimus & mensuravimus vineam & ortum suprascripte Ecclesie positam in eodem loco Getthani quam Bucchia tenebat & invenimus a capite Strade usque ad foveam retro ibi factam Staiora octo & Scalas tres & dimidiam & retro foveam panoros novem & dimidium minus denarios novem de qua debent reverti ad Ecclesiam per arbitrium Pecci & sociorum ejus Stariora tria & panori duo & pro musto superflue de quatuor quinque quam Bucchia tenuit panorus unus & dimidium. Que Stariora tria & panoros tres & dimidium sic dicimus & pronunciamus ut prefatus Sindicus pro suprascripta Abbatia habeat videlicet ex parte meridiei juxta Bucchiam Stariora duo & dimidium & denarios novem usque ad foveam & tota mensurata a capite vie Calcisane pertiche duo & pedes duo & uncie undecim & dimidia. Et ab alio capite juxta foveam pertiche duo & pedes duo & uncie similiter

militer uudecim cum dimidia & in longitudinem usque ad foveam ideſt pertiche ſexaginta octo minus pes unus & dimidium. Item ſupraſcripta Abbatia habeat panoros nonem & dimidium minus denarios novem qui ſunt retro foveam. Et dicimus ut non prejudicium ſupraſcripto Ugoni Bucchie ſit ad habendum plus de terra quam Francardus cum Sociis ejus tenet pro diviſione quam inſimul fecerunt ita ſcilicet ut quantumcunque Ugo Bucchia pluſquam ſupraſcriptum ſit habere debeat totum pergat ſuper illam quam Abbatie reddita eſt. Et Abbatia tantum pergat ſuper illam quam Francardo reliquimus. Ita quod Abbatia ſemper habeat totam illam pro menſura quam ei reddidimus. Data & recitata in Curia Sancti Xiſti preſentia Balbi de Sancto Xiſto filio quondam Ugonis & Caronis de noce filii Corti & Sinibaldi filii quond. Bernardi de Calci. Dominice Incarnationis anno milleſimo centeſimo ſeptuageſimo ſecundo pridie Kal. Januarii Indictione quinta.

Ego Uguccio Notarius Sacri Lateranenſis Palatii & tunc publicus Piſanorum arbiter ac diviſor hec omnia ſupraſcripta a me & ſupraſcripto Ildebrando Belacte ſocio meo ex officio noſtri Arbitratus facta & pronunciata tam pro me quam pro eodem Socio meo ejuſque precepto ſubſcribendo confirmo.

Ego Bonus Talentus Domni Imperatoris Frederici Notarius hec a ſupraſcriptis Arbitris pronunciata & a me mandato ſupraſcripti Uguiccionis Notarii ſcripta precepto ejuſdem & etiam ſupraſcripti Ildebrandi Socii ejus parabola hic ſubſcribendo confirmo.

Num. XXXIII.

Transactio facta a Gualfredo quondam Grassi Burgo Sindico S. Michaelis de quibusdam Terris.

„ Ex eodem Archivo S. Michaelis.

Anno 1173. *Communi*, *&* 1174 *Pisano*.

IN Eterni Dei Nomine Amen. Ut veritas imposterum evidenter clareat nullaque mentibus humanis ambiguitas oriatur memoriale hoc scriptum cunctis eliqueat. In presentia & testimonio bonorum hominum quorum nomina inferius leguntur. Gualfredus quondam filius Grassi fecit finem & diffinitionem & transactionem atque refutationem Burgo Sindico Ecclesie Sancti Michalis recipienti pro ipso Monasterio de quatuor Staioris a capite Arni infra una petia de terra posita prope Ecclesiam Sancti Appollenaris que tenet unum capud in Arno & alterum capud in palude latus unum in via & aliud latus in terra Ecclesie Sancti Ruxorii & partim in terra suprascripti Monasterii Sancti Michaelis & in terra BULGARINI Ansossi pro tota sua parte, quam ibi habebat cum suis libris decem pertinentibus sibi de prestantia tredecim librarum quam Ughiccio de Grasso socius suus fecit in provincia Octaviano tunc Pisarum Consuli pro Communi & pro qua prestantia prefatus Gualfredus Schedam emptionis a Consulibus Pisanis postea de suprascriptis Starioris quatuor de suprascripta terra suscepit sicut contitinetur in ipsa Scheda per manum Vincii Notarii scripta. Quod ab hac ora in antea nec ipse Gualfredus nec ejus heres neque illorum vel ab eis aliqua submissa persona aut cui ipsi dederint vel habere decreverint agent inde vel causabuntur seu molestabunt aut quomodolibet querimoniam vel brigam facient adversus Abatem suprascripti Monasterii vel suos successores sive aliam pro eis personam aut cui ipsi dederint vel habere decreverint. Et si contra

tra hec aliquando fecerint ingenio quolibet spopondit se prefatus Gualfredus ejusque heredes componere illis per sollemnem stipulationem penam dupli. Et pena soluta hic finis & definitio & refutatio semper sit firma. Pro qua fine & deffinitione & transactione atque refutatione Ego Ughiccio quond. Lamberti Capitaneus pro me & Sociis meis Capitaneis de quinque Consulum concordia in communi Pisane Civitatis debito suprascriptas libras decem poni & ipsius Gualfredi nomine ibi scribi precepi ut inde eas recolligere idest recompensare debeat. Actum Pisis in Ballatorio Ecclesie Sancti Martini. In presentia & testimonio Burdonis quond. Alferii Adaldi. Sicherii Emme. Ughiccionis Jurgie quond. Alberti & Bonaccursi quond. Lamberti de Guarneria qui ad prefata omnia convocati & rogati testes interfuerunt. Dominice vero Incarnationis anno millesimo centesimo septuagesimo quarto. Quintodecimo kal. Septembris Indictione sexta.

Ego Albertus Domni Frederici Romanorum Imperatoris Notarius & suprascripti Capitanei publicus Scriba prefatis omnibus interfui & a suprascriptis Gualfredo & Capitaneo rogatus hanc memorialem cartulam ad veritatis evidentiam scripsi & complevi & dedi.

Num. XXXIV.

Transactio inter Ubertum quondam Stephani & Capitaneos de quinque recipientes pro Gerardo Abbate S. Michaelis de quibusdam terris.

„ Ex eodem Archivo.

Anno 1174. *Communi*, *&* 1175. *Pisano*.

IN Eterni Dei Nomine Amen. Quam utile sit litterarum serie & presertim publica res gestas comprehendere perfidia negantium justa interdum dubietas seu ignorantia probationum quoque difficultas evidenter insinuant ideo-

que

que ad perhennem rei memoriam scriptum sit hujusmodi. In presentia quidem ac testimonio bonorum hominum quorum nomina inferius leguntur. Ubertus Boalis dictus filius quondam Stephani pro Bartholomeo de Donnis Cognato suo fecit finem & diffinitionem & transactionem atque refutationem Malpilio Archidiaconi & Guilielmo Ugonis Sismundi BULGARINO Vicecomiti & Sigherio quondam Malpilii Capitaneis de quinque recipientibus pro Domno Gerardo venerabili Abbate Monasterii Sancti Michaelis de Burgo pro ipso Monasterio de una petia terre posita in Ghethano cujus unum capud tenet in via Calcisana & alterum capud in palude latus vero unum in terra filiorum Merollaris & aliud latus in terra suprascripti Monasterii & est Stariora quadraginta pro tota parte suprascripti Bartholomei quam ibi habebat pro suis libris octo pertinentibus eidem Bartholomeo de prestantia librarum vigintisex sive venditione quam Francardus Belli fecit in Provincia Octaviano tunc Pisanorum Consuli pro Communi & pro qua prestantia sive venditione idem Francardus & Ubertus Mocchus cartulam emptionis ab Ildebrando homicii tunc Consule pro se & Sociis suis Consulibus postea de suprascripta terre petia suscepere sicut continetur in ipsa cartula per manum Raynerii Notarii scripta. Quod ab hac hora in antea nec ipse Bartholomeus nec ejus heres neque illorum vel ab eis aliqua summissa persona aut cui ipsi dederint vel habere decreverint agent inde vel causabunt seu molestabunt aut quomodolibet querimoniam vel Brigam facient adversus prefatum Donnum Gerardum Abbatem suprascriptum vel suos successores pro suprascripto Monasterio sive aliam pro eis personam aut cui ipsi dederint vel habere decreverint. Et si contra hec aliquando fecerint ingenio quolibet. Spopondit se prefatus Ubertus pro suprascripto Bartholomeo Cognato suo suosque heredes componere illis per sollemnem Stipulationem penam librarum viginti argenti optimi in suprascriptis Capitaneis collatam & pena soluta hec finis & diffinitio & transactio atque refutatio semper firma & stabilis permaneat.

Unde

Unde prefatus Ubertus obligavit se & suos heredes & promisit per sollemnem stipulationem suprascriptis Capitaneis recipientibus pro suprascripto Abbate facere tenere firmam prefatam finem & diffinitionem & transactionem atque refutationem. Quod si non fecerit penam suprascriptam ei componere per stipulationem promisit. Pro qua fine & diffinitione & transactione atque refutatione nos suprascripti Capitanei Consulum concordia in Communi Pisane Civitatis debito suprascriptas libras octo poni & ipsius Bartholomei nomine ibi scribi precepimus. Acta sunt hec Pisis super ballatorium Ecclesie Sancti Martini in presentia & testimonio Ildebrandi Jurisperiti quondam Boni de Mercato. Ugonis de Bonimino & Gotti quond. suprascripti Belli qui ad prefata omnia convocati & rogati testes interfuerunt. Dominice verò Incarnationis anno millesimo centesimo septuagesimo quinto Indictione octava septimo kal. Decembris.

Ego Albertus Domini Frederici Romanorum Imperatoris Notarius & suprascriptorum Capitaneorum Scriba prefatis omnibus interfui & a suprascriptis Uberto atque Capitaneis rogatus hanc memorialem cartulam ad veritatis evidentiam scripsi complevi & dedi.

Num. XXXV.

Alia Transactio Ugonis Bucchiae cum iisdem Capitaneis recipientibus pro Abbate S. Michaelis in Burgo.

„ Ex eodem Archivo.

Anno 1174. *Romano* & 1175. *Pisano*.

IN Eterni Dei Nomine Amen. Ut veritas imposterum evidenter clareat nullaque in mentibus humanis ambiguitas oriatur memoriale hoc scriptum cunctis eliqueat. In presentia quidem ac testimonio bonorum hominum quorum nomina inferius leguntur. Ugo Bucchia dictus filius

filius quond. Rainerii Bonaccii fecit finem & diffinitionem & transactionem BULGARINO Vicecomiti & Malpilio Archidiaconi Capitaneis de quinque recipientibus pro Donno Abbate Monasterii Sancti Michaelis de Burgo pro ipso Monasterio de Starioris novem terre infra una petia de terra pro indiviso positam in Ghettano cum vinea & Casa & Curte & Terra laboratoria que tenet unum capud in via Calcisana & alterum caput in terra suprascripti Monasterii ambo vero latera in terra filiorum quondam Merollaris pro suis libris viginti & unius pertinentibus sibi de prestantia librarum trecentarum quas Pandulfus Lanfreduccii, & Ildebrandus Antonii & Ugo Masca & Montemagnus atque Ugo Antonii pro se & Sociis eorum fecerunt Consulibus Pisanis qui tunc erant pro expediendo debito Luce facto. Et pro qua prestantia suprascripti Pandulfus & Ildebrandus & Ugo Masca & Montemagnus & Ugo Antonii pro se & eorum Sociis cartulam emptionis a Consulibus Pisanis postea de predictis novem Staioris terre susceperunt sicut in ipsa cartula per manu Vincii Notarii scripta. Quod ab hac ora in antea nec ipse Ugo Bucchia nec ejus heres neque illorum vel ab eis summissa persona aut cui ipsi dederint vel habere decreverint agent inde vel causabunt seu molestabunt aut quomodolibet querimoniam vel brigam facient adversus prefatum donnum Abbatem vel suos successores pro suprascripto Monasterio sive aliam pro eis personam aut cui ipsi dederint vel habere decreverint. Et si contra hec aliquaudo fecerint ingenio quolibet. Spopondit se prefatus Ugo Bucchia suosque heredes componere illis per sollemnem stipulationem penam libras viginti argenti optimi in suprascriptis Capitaneis collatam & pena soluta hec finis & diffinitio & transactio atque refutatio semper firma & stabilis permaneat. Pro qua fine & diffinitione & transactione atque refutatione nos suprascripti Capitanei Consulum concordia in Communi Civitatis debito suprascriptas libras viginti & una poni & ipsius Ugonis Bucchie nomine ibi scribi precepimus. Actum Pisis super ballatorium Ecclesie Sancti Martini

tini in presentia & testimonio Pilosi quondam Bulli Uberti de Martha & Guidonis Gabbadoris qui ad presata omnia convocati & rogati testes interfuerunt. Dominice vero Incarnationis anno millesimo centesimo septuagesimo quinto Indictione septima pridie nonas Septembris.

Ego Albertus Domni Frederici Romanorum Imperatoris Notarius & suprascriptorum Capitaneorum publicus Scriba presatis omnibus intersui & a predicto Ugone Bucchia atque Capitaneis rogatus hanc memorialem cartulam ad veritatis evidentiam scripsi & complevi & dedi.

Num. XXXVI.

Venditio quarumdam terrarum Sigerio de Cantore facta a Beneincasa & Salvio ejus filio.

„ Ex Archivo S. Michaelis.

Anno 1178. *Romano seu* 1179. *Pisano.*

IN Nomine Domini nostri Jesu Christi Dei Eterni. Anno Dominice Incarnationis millesimo centesimo septuagesimo nono quinto kal. Aprilis Indictione undecima. Manifesti sumus nos Beneincasa quond. Guidonis & Salvius ejus filius quia consentiente mihi jam dicto Salvio suprascripto Beneincasa Patre meo per hanc cartam vendimus & tradimus tibi Sigerio de Cantore quond. Lamberti duas petias de terris positis in Valle Sercli in confinibus Plebis de arena in loco dicto Caphagio moro que sunt aratorie quarum prima petia tenet ambo capita in viis publicis. Latus unum in terra Hospitalis Sancte Marie Majoris Ecclesie. Alterum latus in terra Bernardi Scarpuccii quondam Ranucii & est per mensuram ad justam perticam mensuratoriam Stariorum unum & panora septem minus quinta pars panoris. Secunda posita in eodem loco cujus ambo capita in viis publicis continetur. Ambo latera in terra Guidonis Bonarelli & est per mensuram

Stario-

Stariorum unum & panora quattuor. Predictas itaque duas petias de terris qualiter ab omni parte circumdate sunt & mensurate per suprascripta loca in integrum cum inferioribus & superioribus suis seu cum finibus & ingressibus suis & cum omni jure & proprietate & actione & pertinentia sua tibi jam dicto Sigerio ut dictum est vendimus & tradimus. Insuper omnia jura & actiones que nobis inde competunt in rem vel in personam vel mixtam directam vel utilem contra quamcunque personam vel locum ratione possessionis & gratia proprietatis tibi jam dicto Sigerio damus cedimus & concedimus & mandamus ut his tuo nomine agas & experiaris. Pro qua nostra venditione & traditione confitemur in veritate & non spe future numerationis accepisse a te nomine certi pretii libras decem & septem bonorum denariorum nostre currentis monete [a]. Quam nostram venditionem & traditionem si nos jam dicti vendentes vel nostri heredes sive cui nos eam dedissemus aut dederimus retollere vel subtrahere aut minuere vel impedire aut imbrigare sive molestare quesierimus quolibet ingenio tibi jam dicto Sigerio vel tuis heredibus sive cui eam vos dederitis vel habere decreveritis. Et si nos vel nostros heredes exinde Actores vel Defensores dare volueritis & eam vobis ab omni homine defendere non potuerimus & non defensaverimus. Spondemus nos nostrosque heredes stipulatione sollemniter interposita tibi jam dicto Sigerio tuisque heredibus componere supradictam nostram venditionem & traditionem in duplum in consimili loco sub extimatione qualis tunc fuerit. Et sic precipimus tibi sepedicto Sigerio ut possessionem suprescriptarum petiarum terrarum corporaliter tuo nomine intres & eas possideas. Hec omnia taliter nos commemorati vendentes scribere rogavimus Guinibaldum Scribam Judicem & Notarium Domini Imperatoris. Actum Pisis in domo juxta Ecclesiam Sancti Laurentii de Rivolta.

Signa manuum suprascriptorum vendentium qui hanc cartam fieri rogaverunt.

Signa manuum Lamberti quond. Ildebrandi & Vekii quon-

quondam Gerardi rogatorum Teſtium.

Poſtea ſecunda die in ſupradicto loco Ermellina uxor ſupradicti Salvii & filia quondam Guntardi conſentiente ei ſupradicto Salvio Viro ſuo & etiam conſentiente ei prefato Beneincaſa ſocero ſuo ſub notitia & interrogatione Guinibaldi Scribe Judicis Domni Imperatoris confirmavit prefatam vend tionem dicto Sigerio & omni juri & rationi & ſpecialiter JURI YPOTHECARUM que ei inde competebat renunciavit. Novellino quondam Albertini & BULGARELLO quond. Ugolini de Maſſa & Guiſcardo quondam Peregrini preſentibus & ſpecialiter ad hec rogatis Teſtibus.

Ego Guinibaldus Scriba Judex & Notarius Domni Imperatoris hanc cartam ſcripſi complevi & dedi.

N O T A E.

(*a*) Jam ad Documentum Num. XXIX. anni 1164. commemorationem factam vidimus *Piſane vel Lucenſis Monete*; qua eadem phraſi exprimi monetam in chartis annorum 1161. & 1163. ſupra citatis ad Notam (*a*) Documenti IV. Ubi & alia exempla conſimilis expreſſionis *noſtre monete* (qualis hic uſurpatur) adducta ſunt, ideſt determinatè Monetae Piſanae ante annum 1182. quo Conventio illa Piſanorum cum Lucenſibus de cudenda moneta inita eſt, quam Clariſs. Valſecchius *pag.* 41. ſuae doctiſſimae Epiſtolae adfert, atque eruditiſſimè illuſtrat. Et ſane etiam antea monetam à Piſanis cudi conſueviſſe vel ex eo conſtat, quod in Piſanis Chronicis ab Ughellio & Muratorio editis ad annum 1172. Piſanum refertur de Chriſtiano Archiepiſcopo Moguntino Legato in Italiam a Frederico Imperatore miſſo, qui repulſam paſſus à Piſanis, quos rogaverat, ut quoſdam Captivos redderent, *Eos privilegiis privavit tum de MONETA quam de Inſula Sardinee*; Id, quod ſupponit, cudende monetae privilegio illos ex tunc potitos fuiſſe, quod illis auferre conatus eſt, in eorum praetenſae contumaciae vindictam.

Num.

Num. XXXVII.

Sententia Pisanorum Judicum in favorem Monasterii S. Michaelis de quadam terra contra Benenatum Bondolaccum.

„ Ex Archivo ejusdem Monasterii.

Anno 1180. *Communi, seu* 1181. *Pisano.*

IN Eterni Dei Nomine Amen. Nos Bonactus & Burgensis & Segrestanus cognitores Judices ac Provisores Guarigang [a] & Debiti & Crediti Communis. Litem que vertebatur inter Burgum Sindicum Sancti Michaelis Ecclesie de Burgo pro ea ex una parte & Benenatum Bondolaccum ex alia sic definimus. Siquidem predictus Burgus Sindicus suprascripte Ecclesie pro ipsa egit adversum suprascriptum Benenatum Bondolaccum de uno petio terre posito ad Ponticellum usque ad Musileos [b] & tenet unum caput in terra ipsius Ecclesie aliud caput tenet in palude latus unum tenet in terra Sancte Marie Majoris aliud latus tenet in via & partim in terra BULGARINI Anfossi & nepotis actione in rem directa & utili. Benenatus Respondit quod non credit Ecclesiam dominam nec habere aliquod jus ex quo competat ei utilis actio & tuetur se ex ordinamento Civitatis & Sacramento Consulum salvo si est Sindicus & si sic habet capita & latera. At Burgus ad ea que intendebat testes produxit quibus id quod intendebat se sufficienter probasse allegabat. Benenatus e contra illos testes sibi nequaquam nocere debere cum ipsam terram habeat ex incantatione ex ordinamento Civitatis. Et etiam tuebatur se ex triennii prescriptione. Dicendo se possedisse per triennium cum in ordinamento Civitatis facto a Rainerio quondam Tigrini & BOLGARINO Vicecomite & Sociis contineatur quod siquis missus fuerit in possessionem Guarigangi & possederit per triennium quod

possit

possit se tueri & excludatur petitor (c) unde se absolvendum esse allegabat. Burgus Sindicus pro ipsa Ecclesia illud triennium sibi non obesse debere (d) cum Benenatus per triennium suprascriptam terram non possederit ideoque ipsum Benenatum in restitutione suprascripte terre fore condemnandum aiebat. Unde nos Judices secundum ea que coram nobis proposita sunt ipsum Benenatum in restitutione suprascripte terre usque ad Musileos qui sunt ultra terminos positos à Judicibus de Ballatorio ipsi Burgo Sindigo pro ipsa Ecclesia condempnamus. Data & recitata Pisis in Ballatorio Ecclesie Sancti Martini presentibus Salemme Advocato & Pegulotto quondam . . . . . & aliis pluribus anno Domini millesimo centesimo octuagesimo primo Indictione tertiadecima tertio idus Augusti.

Ego Sismundus Judex Ordinarius Domni Imperatoris Frederigi Notarius rogatu predictorum Provisorum ac modi Cognitorum hanc sententiam ab heis datam scripsi & firmavi.

N O T A E.

[a] Idem forte, quod *Guaringaga*, idest Fovea, aut Aquaeductus. Ita Henricus Imperator anno 1094. apud Ughellum *tomo* 3. in Privilegio Canonicis Pisanis concesso inquit: *Et largimur Guaringagas omnes quae eorum praediis adherent*. Et Mathildes Comitissa anno 1100. in sua donatione ab eodem relata ait: *Et Guaringagas omnes qui sunt in capite terrarum Canonicorum*. In veteribus Statutis Pisanis Rubrica quinta partis secundae, quae est: *Quae quaestiones ad Leges & quae ad usum ponantur*. Sic disponitur: *Ripat Arni & quae in ea fient, vel facta sunt, ponimus ad usum. Guaringanga ponimus ad usum;* Id quod indicat, aliquod aquae receptaculum eo vocabulo exprimi, ex Germanica voce *Waterganga*; nam *Watter* significat *aquam*, & vox *Ganc* importat *ductum*, seu *Cursum*.

[b] Tumulos seu Mausolea significari hoc vocabulo, seu monumenta in agrorum finibus collocari solita, docet Ducangius in *Musilei* voce.

[c] In parte prima veterum Statutorum Pisanae Civitatis *Rubr*. 48. *de pos-*

de possessionibus injustè ablatis vel invasis prope finem Statutum quoddam occurrit de Triennali possessione, quod tamen ad res immobiles pertinet, non ad bona mobilia, de quibus hic agimus. Ejus verba sunt: *Hac saluberrima Constitutione sancimus, quod si aliquis fuerit possessor alicujus domus vel fundi vel rei immobilis seu mobilis aliquo tempore prius illo qui nunc invenitur in possessione, licet non probetur quod VI. vel CLAM, vel PRECARIO possideat, ab Adversario tamen in possessione recuperanda semper potior sit prior possessor: nisi secundus possessor habuerit causam a priore Possessore, vel nisi in re immobili decennio, & in re mobili triennio quietè secundus Possessor possedit*; Quae utique Constitutio huic casui, ubi de immobili fundo agebatur, nequaquam favere poterat. Animadverto autem in hoc ipso decreto alludi ad famosam Legem Justinianaei Codicis *lib. 8. tit. 6 Uti possidetis*; ubi hac ipsa phrasi dicitur: *Cum ab altero nec vi nec clam nec precario possidetis, Praetor provinciae vim fieri prohibebit*.

(*d*) Duplex exceptio hic fuerat distinguenda, tum quod Ecclesiae triennalis illa praescriptio non noceret, nam in superius allata Constitutione subditur: *Praedicta praescriptione Decennali in re immobili, , vel triennio in re mobili, contra minorem, vel absentem, vel Ecclesiam minimè currente*; tum etiam quod per triennium Benenatus Fundum illud revera non possederit; praeter exceptionem tertiam hic omissam, quod Decennii, non Triennii praescriptio in re immobili sufficiebat; nisi forte alia Lex ea de re lata fuerit, quae ad nostram notitiam minime pervenerit.

Num. XXXVIII.

Donatio rerum omnium Mobilium & Immobilium facta Martino Hospitalario S. Frigdiani de Pisis ab Uguccione, & Sibilla Jugalibus.

„ Ex Archivo Monasterii Angelorum Florentiae.

Anno 1183.

IN Nomine Domini nostri Jesu Christi Dei Eterni. Anno ab Incarnatione ejus millesimo centesimo octuagesimo tertio Indictione . . . . . tertiodecimo Kalendarum Februariarum. Manifesti sumus nos Uguiccio quondam Ranuc-

Ranucci Pelagalli & Subilla uxor ejus filia quondam Stefani quia consentiente mihi Sibille suprascripto Viro meo ubi interesse videtur notitia BULGARINI quondam Gerardi & Guidonis quondam Marchiselli propincorum meorum a quibus secundum legem interrogata & cognita sum me nullam pati violentiam sed pura & integra mea libera voluntate secundum Edicti paginam per hanc cartulam pro anime nostre remedio donamus & tradimus & offerimus atque concedimus tibi Domno Martino Ospitalesio & Rectori Ospitalis Sancti Fregiani de Pisis totum quod habemus mobilem ac immobilem jure & actiones in quibuscunque locis vel vocabulis ut dictum est quicquid mihi ubicunque pertinet mobile & immobile cum omni jure & proprietate actioneque sua in integrum tibi ut dictum est pro suprascripto Ospitali donamus tradimus & offerimus atque concedimus ut hab hac ora innantea sit proprii juris atque dominii suprascripti Ospitalis ejusque Rectorum & cui ipsi dederint vel habere decreverint. & numquam amplius in nobis vel nostris heredibus contra suprascriptum de predictis rebus agere vel causari seu molestiam vel querimoniam facere liceat. Sed omni tempore quod supradictum est firmum & stabile perseverat in prefinito: Quam nostram dactionem atque concessionem si nos prenominati Uguiccio & Sibilla jugales vel heredibus nostris sive cui nos eam dedissemus aut dederimus retollere vel imminuere quesierimus per aliquod ingenium tibi prefato Martino Ospitalieri vel tuis successoribus aut cui vos ex parte predicti Ospitalis dederitis vel habere decreveritis. Et si eam vobis ab omni homine defendere non potuerimus & non defensaverimus. Spondemus nos una cum nostris heredibus stipulatione solenni tibi inmersa componere vobis nomine pene suprascriptam nostram dactionem atque oblationem in duplum in ferquidis locis & rebus sub extimatione qualis tunc fuerit. Et sic precipimus tibi in possessionem intrare quandocunque vis. Acta sunt hec Fasiani in porticu & domo suprascripti Ospitalis non longè ab Ecclesiam Sancti Stefani.

 Signa

Signa manuum suprascriptorum jugalium qui communiter hanc cartulam rogaverunt scribi.

Et in tali ordine hec scribere rogavimus Forestanum Domni Imperatoris Notarium.

Signa manuum Lamframcheti filii Ropitii. Saracini quondam Barucci. Martini quondam Ingordi presentibus & rogatorum testium.

Ego Forestanus Domini Notarius Imperatoris post tradita complevi & dedi.

Num. XXXIX.

Sententia à Bonifacio Novariensi Episcopo Vicario Imperiali & ab Ottone Zondadario Imperialis Aulae Judice prolata contra Manentem Comitem Sartbiani, favore Monasterii ad Vivum (a)

„ Ex Codice membranaceo variorum contractuum apud
„ D. Marium Ugurgerium Canonicum Senensem.

Anno 1185.

Questa Carta è riportata dal Muratori Tomo IV. Antiq. Ital. pag. 731. molto meglio

IN Nomine Domini nostri Jehu Xpi anno ab Incarnatione ejus millesimo centesimo octuagesimo quinto indictione tertia [*b*] die mercurii nono mensis Octubris. De lite que vertebatur inter dopnum Marcum Priorem Monasterii de Vivo nomine predicti Monasterii ex una parte nec non ex alia parte Comitem Manentem de Sarteano [*c*] petebat dictus Prior a predicto Manente decem & septem inter equas & pullos & tot boves & vaccas unde habuit libras VII. [*d*] & sex paria bovum & centum pecudes & XXIII. [*e*] libras & omnia de den. [*f*] Pise & Luce & tres boves & libras tres denariorum quas abstulit cuidam nostro Abbati & libras LX. quas habuit de rebus quas extraxit de Ecclesia de Mojano [*g*] & XXII. Sarcinas [*h*] ordei quas abstulit Ecclesie Sancti Petri de Campo [*i*] & centum pecudes ejusdem

dem Abbatie de quibus predictorum confessus est predictus Comes Manens [k] de quibus deinde negavit [l] super quibus predictus Prior suos produxit testes. Petebat quoque predictus Prior a predicto Manente possessionem de Biscagia (m) & de Castello Cecculo (n) & de Piscis [o] & de Castagno & possessionem datam a Bernardino Bacchaii [p] & ejus fratribus & possessionem Bivioni & vineam Offredelli & possessionem Amin [q] & predium Sancti Fabiani quod filii Magistri Mercenarii nigri tenebant & Marzivolum & ejus Curtem & Casarne & Castilionem. Super quibus possessionibus fere omnibus predictus Prior instrumenta acquisitionum exhibuit. Quibus visis & auditis testibus infrascriptis & instrumentis diligenter inspectis Domino Bonifacio Dei gratia Novariensi Episcopo [r] & Domini invictissimi Imperatoris Friderici (s) Vicario ad justitias faciendas sedente pro Tribunali. Ego Otto Zondadarius Mediolanensis [t] aule imperialis judex consilio sociorum meorum videlicet Alberti de Adegherio Ferrariensis & Grossi de Brixia Judicum curie Manentem a petitione inter decem & septem inter equas & pullos & tot inter boves & equas unde habuit libras XII. & VI. paria bovum & C. pecudes absolvo. Item predictum Manentem a petitione predii Sancti Fabiani quod tenebant filii Mercenarii nigri absolvo prestito Sacramento a predicto Manente quod predictum predium erat suum. Item de IX. libris Senensibus pro tribus bobus & de tribus libris Senen. pro porcis & aliis rebus ablatis & de quindecim libris quas abstulit cuidam Abbati predicti Monasterii predictum Manentem absolvo in XXXIII. libris & omnia den. [u] Lucca & Pise cui XXX. libris [x] quas habuit de C. pecudibus ablatis & XVII. somas ordei & in XXX. libris de rebus quas abstulit de Ecclesia predictum Manentem eidem Priori nomine suprascripti Monasterii condepno. Item in possessiones de Frascagia (y) & de Castello Ceculo [z] & de Piscis (aa) & de Castagno & de possessione data a Berardino Reccharii (bb) & ejus fratribus & de possessione Bovini & de vinea Offredelli & de possessione Amini

 (cc) & de

[cc] & de Marzuolo & ejus curte & de Casarno & de Castilione ut dimittat predicto Monasterio & non impediat predictum Comitem Manentem Condepno.

Actum ante Ecclesiam Sancte Christine in Episcopatu Senensi. Interfuerunt Gryphus Novvolonis Rainerius Bernardini Uguccio de Guascho Petrus Guiducci Marchi Stephanus Rhannerii de Monte Polizo [dd] Uvarnerius judex de Adisio Clarissimus Judex ejus frater Martinus de Castello Johannes Judex de Sarthiano Vaholinus de Scholario atque Scholarius ejus Filius Testes.

Ego Martinus Philippi imperialis aule & Pape Notarius interfui & precepto jam dicti Vicarii & Judicum hanc sententiam scripsi.

N O T A E.

(a) Monasterium hoc territorii Senensis in regione Montis Amiati positum, a S. Henrico Imperatore donatum est S. Romualdo, ejusque discipulis, ut idem beatissimus Pater fuerat vaticinatus, ex Petro Damiani in illius vita cap. 65. Donationis autem ipsius exemplar apud me habeo, & in Annalibus meis proferam, datum anno MIV. Indictione II. ubi vocatur *Monasterium S Petri de Vivo in Monte Amiato*. Unde patet primò, Baronium,& Mabillonium referentes Henrici,& Romualdi colloquium ad annum MXXII. quibus olim & ipse subscripseram in tabulis Chronologicis Dissertationis II. lapsos esse, & ad primum Henrici adventum in Italiam contra Harduinum Regem anno 1004. factum illud pertinuisse. Patet secundò, aequè lapsos esse Auctores nostros, qui per monasterium Montis Amiati ab Henrico donatum S Romualdo, illud ipsum S. Salvatoris Montis Amiati Monasterium interpretati sunt, quod à Nigris Monachis ad Cistercienses translatum ab anno Christi 1229. nunc etiam ab iisdem administratur, & regitur. Frustra igitur Mabillonius ad annum 1022. num. 16. postquam narravit colloquium Romualdi, & Henrici, ac donationem factam Monasterii Montis Amiati, & veteris Abbatis Romualdo nimium infesti expulsionem, subdit: *ast id non convenit cum illius Monasterii monumentis, in quibus Uvinizo Abbas non interrupta serie temporis praedictum locum rexisse traditur ab anno 996. ad 1036. uti Acta probant*

probant ab Ughellio relata; Monasterium enim, quod Romualdus regendum ab Henrico suscepit in Monte Amiato, non illud S. Salvatoris fuerat, sed longè aliud, nempe S. Petri ad Vivum, de quo mentio est in hoc monumento, & in praelaudato S. Henrici diplomate.

(*b*) Hic indictionem in Septembri non esse mutatam notabis, nam caeterae chronicae notae annum ipsum 1185. cui indictio 3. convenit, exactè designant.

(*c*) Alia lectio habet *de Sartiano*; erat autem ipse Manens Comes filius Peponis Comitis. In Archivo Monasterii nostri Rosae Senarum charta num. 63. habetur ipsius Manentis Comitis donatio facta D. Guidoni Priori sive Abbati Monasterii S. Petri de Vivo medietatis Castri Castilionis Latronum anno 1126. mense Martii indictione sexta; sed aut annus, aut indictio corruptè notata est ab exscriptore, qui mihi hanc notitiam communicavit.

(*d*) Alia Lectio habet *libras XII*. Refertur enim hoc ipsum documentum in alio instrumento anni 1210. indictione 13. quo Petrus Prior Monasterii de Vivo, in praesentia Henrici Mantuani Episcopi, & Othonis IV. Romanorum Imperatoris Vicarii, & Imperialis Curiae Judicum Alberti Struzii Cremonensis, Passaguerrae Mediolanensis, Monaci de Villa Mediol. & Ruffini Placentini, institit contra haeredes ipsius Manentis pro executione hujus sententiae, de verbo ad verbum insertae, unde has varias lectiones hausi.

(*e*) Alia Lectio habet, *XXXIII. libras*.

(*f*) Alia Lectio non habet *& omnia*; sed tantum *denariorum Pise & Luce*.

(*g*) In alia Lectione *de Moriano*.

(*h*) Alia Lectio *XXXII. Sarcinas*.

(*i*) Id Monasterium anno 1146. tertio nonas Maii à Martino Clusino Episcopo fuerat Rustico Priori S. Petri ad Vivum cum omnibus suis bonis donatum, reformationis causa, ex charta in Archivo Senensis Hospitalis S. Mariae de Scala existente sub numero 1464. Multis autem bonis id Monasterium locupletatum fuit anno 1055. à Rainerio, & Petro *qui Pepo est clamatus* & Farolfo germanis Comitibus, filiis Uvinigildi, qui fuit Comes, ut in charta manu Alberti Judicis Domni Imperatoris rogata.

(*k*) Alia Lectio: *de quibus confessus est predictus Comes*.

(*l*) Alia Lectio: *de quibusdam negavit*.

(*m*) Alia Lectio: *Braschagia*.

(*n*) Alia Lectio. *Cetulo*.

(*o*) Alia Lectio: *Spisiis*.

(*p*) Alia Lectio: *Bernardino Bicchari*.

(q) Alia Lectio: *Annieli*.
(r) Ex Avogadria Familia eum fuisse scribit Cotta: ab anno 1172. ad 1191. eam cathedram tenuisse observat Ughellius; & licet Frederici Imperatoris, cujus Vicarium in Italia agebat, partes sit sequutus, Concilio tamen Lateranensi sub Alexandro III. subscripsisse memorat, velut qui Ecclesiae reconciliatus esset.
(s) Friderici ejus nominis I. quem Aenobarbum appellant.
(t) Nobilissima igitur haec familia Zondedaria, quam cum Chisia Pontificia progenie arcta cognatione junctam hodie duo maximi Praesules illustrant, Antonius Felix Zondadarius S. R. E. Cardinalis Eminentissimus, totius nostri Camaldulensis Ordinis Protector vigilantissimus, & Alexander ejus germanus Frater Archiepiscopus Senensis, ac nuper ab alio Fratre eorundem Marco Antonio Zondedario Magno Religionis Equitum Melitensium Magistro illustrabatur: haec inquam, familia ex Insubria in Etruriam ante quingentos & quinquaginta fermè annos venisse ex hoc documento probatur.
[u] Alia Lectio: *triginta tribus libris & dimidia denariorum*.
[x] Alia Lectio: *& in XXX. libris*.
[y] Alia Lectio: *Beaschagia*.
[z] Alia Lectio: *Cetulo*.
[aa] Alia Lectio: *Spiscis*.
[bb] Alia Lectio: *Vicario*.
[cc] Alia Lectio: *Amicii*.
[dd] Idest *de Monte politiano*, quem eruditiss. Benevolentius olim vocatum italica lingua *Monte polito* (ut alia similia ex eorum forma *Monte rotondo*, *Monte acuto*, *&c.*) censet, tum, ut in hoc monumento *Monte polizo*, deinde *Montem politianum* Latini, Itali vero *Monte pulciano* denominarint.

Num. XL.

Donatio cujusdam terrae facta Moriconio ab Ildebrando & Pagano Germanis fratribus.

„ Ex Archivo S. Michaelis.

***Anno* 1185. *Communi, seu* 1186. *Romano*.**

IN Nomine Domini nostri Jesu Christi Dei eterni. Anno ab Incarnatione ejus millesimo centesimo octuagesimo

gesimo sexto Indictione tertia tertio Kalendas Junii. Manifesti sumus nos Ildebrandus & Paganus germani filii quondam Sigismundi quia per hanc cartulam donamus & tradimus irrevocabiliter inter vivos tibi Moriconi quond. Rubaldini medietatem pro indiviso cujusdam petii terre posite Pisis Kinthice [a] prope Ecclesiam Sancti Christophori in loco dicto Podio que tota petia tenet unum caput in via publica & aliud caput in terra mea latus in via vicinali & aliud latus in terra Petri quond. Arci. & est hec medietas per mensuram ad justam perticam mensuratoriam scala una. Predictam itaque medietatem pro indiviso suprascripte petie terre qualiter ab omni parte circumdata & mensurata est per designata loca in integrum cum inferioribus & superioribus suis & cum omni jure & proprietate & actione ac pertinentia sua tibi ut dictum est irrevocabiliter donamus & tradimus & cedimus & mandamus tibi omnia jura & actiones inde nobis competentia. Pro qua nostra donatione & traditione irrevocabiliter inter vivos recepimus a te meritum anulum aureum. Quam nostram donationem & traditionem irrevocabiliter inter vivos si nos prenominati Ildebrandus & Paganus germani vel nostri heredes aut aliqua a nobis submissa persona seu cui nos eam dedissemus aut dederimus retollere vel subtrahere aut minuere, vel impedire sive imbrigare seu molestare quesierimus quolibet ingenio tibi suprascripto Moriconi vel tuis heredibus aut cui vos eam dederitis vel habere decreveritis. Et si eam vobis ab omni homine defendere non potuerimus & non defensaverimus. Spondemus nos una cum nostris heredibus stipulatione sollepniter interposita componere vobis nomine pene suprascriptam nostram donationem & traditionem in duplum in consimili loco sub estimatione qualis tunc fuerit. Et sic precipimus tibi in possessionem intrare & tuo nomine possidere. Et constituimus nos pro te & tuo nomine possidere donec ejus possessionem corporalem fueris adeptus. Et taliter hec scribere rogavi BANDINUM Martii Notarium Domni Imperatoris. Actum Pisis Kinthice in porticu

Domus

Domus ſuprafcriptorum vendentium prope Eccleſiam Sanĉte Chriſtine.

Signa manuum ſuprafcriptorum Ildebrandi & Pagani germanorum qui ut dictum eſt hanc cartam rogaverunt ſcribi.

Signa manuum Gaetani Juriſperiti & BANDINI germanorum filiorum Domni BURGUNDII & Henrici Gelſi quond. Gerardi Gelſi & BURGUNDII quond. Leonis BURGUNDII & Guiſcardi quond. Henrici & Gherumi quond. ...... preſentium & rogatorum Teſtium.

Ego BANDINUS Martii Domni Frederici Romanorum Imperatoris Notarius preſa ....

N O T A E.

[a] Pars Meridionalis Civitatis Piſanae ab Arno diviſae *Chinzica* aliàs *Kinſicha* dici ſolet; eademque denominatio per quam antiqua eſt; nam in noſtro Archivo in charta anni 1032. Conradi Imperatoris ſexto pars haec Civitatis eodem vocabulo commemoratur *In loco & finibus Chintica*. Actum manu Ildebrandi Notarii Domni Imperatoris pridie Kal. Auguſti. In Chronicis Piſanis apud Ughellum & Muratorium habetur, quod *Anno* 1101. *tota ferè Kintica exuſta eſt vento flante*. Eandem ſortem biennio ante ſubierat; quin & ab anno 1005. exuſtam à Saracenis fuiſſe illam Urbis partem tradunt, indeque vocabulum illud ſortitam, eo quod Saracenica lingua *Kinſich* combuſtum quid referat. Alii neſcio quam eo nomine Matronam fabulantur, quae nomen loco dederit, ex Senatus decreto, quòd ipſa opportune accurrens Piſanos Proceres de hoſtium irruptione monuerit, qui Borealis Partis Copias quamcitiſſimè colligentes Barbaros illos fugarint: Unde & Oplomachiae Piſanae originem repetunt in celeberrimi ejus facti memoriam inſtitutae, qua Borealis, & Auſtralis Pars Civitatis in Pontis area committitur, ac ludicro bello acriter hinc inde pugnatur, ut quaelibet adverſam aciem è ponte ipſo diſiiciat, vel ſaltem à linea, ipſum in partes aequales dirimente, repellat, Statuam etiam in via D. Martini eidem Matronae poſitam fuiſſe, ſibi perſuadent, ab anno 1005. quo id factum contigiſſe autumant, ad hanc diem conſervatam. Sed vetuſtiorem denominationem evincunt vetera diplomata, in quibus ejus regionis Eccleſiarum mentio eſt, veluti in Kinſica poſitarum, ante annum Chriſti milleſimum.

Num.

Num. XLI.

„ *Sententia lata de mandato Coelestini Papae III. a D. Meliore*
„ *Cardinali, & D. Gualando S. R. E. Subdiacono & Priore*
„ *S. Frigdiani Lucensis, inter Canonicos Pisanos, &*
„ *Monachos S. Pauli ad Ripam Arni super jure cujusdam*
„ *Ecclesiae.*

Ex authentico apud Cl. V. Octavium Angelum de Abramo Primitialis Ecclesie Canonicum.

Anno 1191, *Romano*, *&* 1192. *Pisano*.

IN Nomine Domini Jesu Christi Amen. Cum discordia verteretur inter Domnum Villanum Archipresbiterum Pisane Ecclesie majoris & Canonicos ejusdem Ecclesie ex una parte & Domnum Gratianum (*a*) Abbatem Sancti Pauli de ripa Arni & Monachos ejusdem Monasterii ex altera super Ecclesiam que de novo cepit edificari in via nova que ducit ad caput Pontis novi ex parte Kinsice (*b*) asserentibus prefatis Canonicis propter excrescentem populum & ratione fundi se ibidem Ecclesiam edificare posse. Abatem vero contradicentem & dicentem neminem edificare posse intra terminos Parochiarum suarum sine consensu suo. Domnus Papa Celestinus III. nobis tribus scilicet mihi Meliori Peccatori Monacho [*c*] & Domno Gualando S. R. E. Subdiacono [*d*] & Domno Johanni Priori Sancti Fridiani de Luca commisit causam suprascriptam cognoscendam, & appellatione remota fine debito temperandam. Utraque vero parte hinc inde litigante Dominus in cujus manu sunt omnium corda volens pace jurgium terminare fecit ut se nostro precise & absque omni condictione & . . . . . arbitrio vel laudamento ambe partes committerent tam super prefata querela quam super aliis querelis que emergere poterant inter prefatas Ecclesias inter carrariam veteris pontis & carrariam Gunduli

sicut

ficut in authentico fcripto compromiffi continetur. Noftro itaque laudamento communi concordia inter nos facta diffinimus prefatam Ecclefiam ad ordinationem prefati Archipresbiteri & Canonicorum pertinere & fucceſforum ipforum ita quod jam dictus Abbas & Monachi vel fucceffores ipforum non poffint inde ullo modo eos moleftare. Ulterius decernimus etiam ut ipfa Ecclefia non habeat fepulturas nifi parvulorum utriufque fexus fcilicet a pubertate infra & de quibus non fit confuetum fonare campanas quas tamen pro ipfis talibus fonare non prohibemus. Decernimus item pro bono pacis utriufque partis ut de cetero non liceat Capitulo Sancte Marie per fe vel per aliam perfonam edificare Ecclefiam vel Cemeterium in Carraria Pontis Veteris ufque ad Carrariam Gunduli fine confenfu Abbatis Sancti Pauli qui pro tempore fuerit vel capituli fui. Neque Abbati qui pro tempore ibi fuerit vel Capitulo per fe vel per aliam perfonam fine confenfu Canonicorum qui pro tempore fuerint falvo jure Plebanatus & aliis quod prefati Canonici dignofcuntur habere extra muros urbis. Inftitutus autem Sacerdos jurabit eadem die in Capitulo Sancte Marie in prefentia Abbatis vel alicujus qui pro Abbate vel Capitulo fuo ibi fuerit obedire mandatis Capituli & Archipresbiteri vel illius qui eum inftituet pro Capitulo. Et decernimus ut inftitutionem ftatim percipiat aliquis pro Capitulo fi Sacerdos vel alius inferioris ordinis per Canonicos inftituatur. Et laudamentum datum inter Ecclefiam majorem Pifanam & Abbatem Sancti Pauli & Monachos ipfius Monafterii bona fide & fine fraude obfervet quamdiu fuerit in eadem Ecclefia & cuftodiat prout in authentico fcripto ipfius laudamenti a nobis tribus judicibus prefatis continetur. Prefato vero laudamento fervato & conceffione facta per Canonicos dabit Abbas Sancti Pauli vel aliquis pro Capitulo fuo annuatim in Affumptione B. Marie femper Virginis viginti fex folidos monete Pifane veteris nunc currentis & unum cereum duarum librarum & dimidie. Limites inter Sanctum Caffianum & prefatam novam Ecclefiam

clesiam ita distinguimus scilicet quod dicta Ecclesia nova habeat parochiam usque ad medium vie que dividit inter turrem nobilium virorum Gerardi & Opithonis de Curte vecchia & domum Marignani & sic in longum porrigitur usque ad tertiam viam. Et exinde oculata fide ostendimus sicut diffinimus. Et ostendimus Stephano & Blanco Judicibus & Notariis viam ab Arno incipientem & Curtem inter turrem suprascriptorum Gerardi & Opithonis & domum Marignani que vadit versus meridiem usque Carrariam dictam Sancti Pauli & voluitur per illam Carrariam versus Occidentem usque ad Cantonem Vinceguerre recta linea versus meridiem usque ad barbacanas Civitatis. Hoc vero laudamentum decernimus servandum esse sub hac pena ut si Abbas vel capitulum suum contra laudamentum fecerit seu quod illud non observaverit amittat Ecclesiam Sancti Kassiani & cedat in jus Canonicorum. Et si Archipresbiter vel Capitulum suum contra laudamentum fecerit seu quod illud non observaverit amittat istam Ecclesiam & cedat in jus Monachorum. Et pena ab alterutra vel utraque parte commissa laudamentum nihilominus observetur. Ne autem questio in posterum oriatur quod ego Melior me Cardinalem non scribo notum facio quod ex quo Monastichum habitum sumpsi nonnisi me peccatorem Monachum nominavi [e]. Datum & recitatum in Sala in qua dominus Cardinalis Melior inhabitat que est infra claustrum Monasterii Sancti Pauli presentibus Presbitero Amato Plebano plebis Sancti Kassiani & Presbitero Petro Plebano Plebis Sancti Laurentii & Bonaccurso & Arlotto Advocatis & Guasmario & Laboratore & Silvestro Canonico Sancti Frigdiani de Luca & aliis multis Dominice Incarnationis anno MCLXXXXII. V. kal. Septembris indictione nona.

Ego Blancus Domni Henrici Romanorum Regis & Notarius hoc laudamentum coram me datum parabola & mandato suprascriptorum Domni Melioris Cardinalis & Domni Gualandi S. R. E. Subdiaconi & Domni Joannis Prioris Sancti Frigdiani de Luca scripsi firmavi & omnibus interfui. Ego

Ego Christophanus Domni Imperatoris Frederici Judex & Notarius in hoc laudamento dato a supraſcriptis Domno Meliore tit. SS. Joannis & Pauli Presbitero Cardinale & Domno Gualando S. R. E. Subdiacono & Domno Joanne S. Frigdiani de Luca Priore eorum mandato ſubſcripſi & meo ſigno firmavi.

Ego Raynerius filius quondam Saſſi de Ripa Arni Domni Henrici Sereniſſimi Romanorum Imperatoris Judex & Notarius authenticum hujus vidi & legi & fideliter exemplavi.

Ego Guidus quond. Juncte filius Apoſtolice Sedis Notarius hujus authenticum vidi & legi ideoque ſignavi & ſubſcripſi.

N O T A E.

[a] Alius utique eſt hic Gratianus Abbas ab aequivoco Gratiano Abbate ejuſdem Monaſterii Sancti Pauli ad Ripam Arni Congregationis Valliſumbroſae, nepote Eugenii III. Papae, ut Troncius *in Annal. Piſan. pag.* 143. aſſerit, quem Alexander III. [ut Patrui ipſius, a quo in Cardinalium collegium adſcitus fuerat, beneficiis grato animo reſponderet] anno 1163. è Monaſterio abſtractum, primò Scriptoris, & Cancellarii Apoſtolici, & S. R. E. Subdiaconi munere decoravit, ac Legatum in Angliam miſit ad Henricum Regem, cui fortiter reſtitit in cauſa S. Thomae Archiepiſcopi Cantuarienſis, & multa minitanti graviſſimè reſpondit, mox Romam redeuntem, atque ipſius S. Thomae encomiis celebratum anno 1178. Diaconum Cardinalem SS. Coſmae & Damiani conſtituit, eundemque iterum ad Henricum Regem deſtinavit, ut Interdictum in ipſum, ejuſque regnum, ob patratam S. Thomae caedem, promulgaret. Alius, inquam, hic Gratianus Abbas anno 1191. eidem Monaſterio praefectus cenſendus eſt, fortaſſe ipſius Gratiani Cardinalis, tunc etiam ſuperſtitis (nam ſub Innocentio III. obiit) affinis, aut ob tanti Viri memoriam renovato nomine in Religionis ingreſſu ſic forte nuncupatus. Caeterum antiquitatem hujus Monaſterii S Pauli in Ordine Vallumbroſano oſtendit Tabula ex Chronico Paſſinianenſi allata a Didaco Franco *in hiſt. S. Joannis Gualb. lib.* 8. *Pag.* 258. Quae ſic habet: *Tabula Monaſteriorum*

riorum Ordinis Vallisumbrosae secundum prioritatem, & acceptationem in Ordine nostro. Monasterium Vallisumbrosae, quod est caput omnium, S. Michaelis de Passiniano. S. Pauli de Pisis. S Salvii, &c. Itaque tertium in ordine locum Coenobium hoc obtinebat. Addit idem auctor *pag.* 251. à Beatrice Comitissa Magnae Mathildis Matre Monasterium illud ipsimet S Joanni Gualberto sanctissimae illius, ac celeberrimae Congregationis Auctori collatum fuisse. Nunc, postquam in Commendam abierat, Religioni Equestri S.Stephani copulatum à nobilissima Griffoniorum Styrpe administratur.

[*b*] Vide Notam [*a*] praecedentis Documenti.

(*c*) Cur se Melior *peccatorem Monachum*, non *Cardinalem* appellet, in calce hujus ipsius documenti manifestat, & ad Notam (*e*) erit infra discutiendum. Caeterum celebritas nominisممelioris Cardinalis Presbiteri tituli SS. Joannis, & Pauli, ipsum latere non patitur. Illum natione Gallum putat Ciacconius, forte quia in Gallias a Coelestino III. Papa missus est ad Philippum Regem, ut à repudianda uxore Ingelberga filia Regis Daniae ipsum absterreret; Sed Italum potius fuisse mihi persuadeo: creatus est autem Cardinalis a Lucio Papa III. dum Veronae degeret anno 1185. Feria IV. Cinerum, & S. R. E. Camerarius constitutus. Is plurimis Pontificum Bullis subscriptus legitur passim apud Ughellum, & alios monumentorum Collectores, videlicet Lucii III. Urbani III. Gregorii VIII. Clementis III. & Coelestini III.

(*d*) Gualandus hic, utique Pisanus, nam ad hanc diem Pisis superest nobilis Gualandorum familia, forte idem est ac Galandus, qui apud Ciacconium inter Cardinales Alexandri III. memoratur *num.* 46. & anno 1177. ejusdem Pontificis jussu, dum in Dania Sedis Apostolicae Legatum ageret, Absalonem Roschildensium Praesulem, Ecclesiae simul Lundensis Archiepiscopatum administrandum suscipere recusantem adegisse, & invito pallium imposuisse refert, ex Saxone Grammatico apud Baronium *tom.*12. *ad hunc annum* 1177. *num.* 91. Sed quandoquidem Saxo ipse Galandum *Romanorum Legatum* dumtaxat appellat, nec ulla de ejus Cardinalatu mentio in ejus temporis monumentis apparet, neque Gualandus in hàc sententia, vel in subscriptionibus Notariorum, Cardinalis appellatur, sed tantùm S. R. E. Subdiaconus, illum inter Cardinales non esse numerandum censeo, nam horum Collegium tres tantùm ordines complectitur, Episcoporum scilicet, Presbiterorum, ac Diaconorum: licet post Cardinales aliquando Pontificum Bullis nonnulli Subdiaconi, praesertim Lateranensis Basilicae Canonici subscribere consueverint, ut in Bulla Honorii II. data in favorem Rogerii Ar-

chie-

chiepiscopi Pisani videre licet apud Ughellum *tomo* 3. *Italiae Sacrae*.

[*e*] Non aliunde innotescit Meliorem Cardinalem Monachum fuisse, nisi ex hoc loco; Quaeri autem potest, an antequam à Lucio Papa ad apicem Cardineum extolleretur, an verò post eam dignitatem adeptam, Monachum induerit, & quo in Coenobio vota sua Domino nuncuparit: Verba haec *Ex quo Monasticum habitum sumpsi nonnisi me peccatorem Monachum nominavi* in eo, qui jam ante sexennium Cardinalis creatus fuerat, indicare videntur, quod aliàs citra scrupulum se Cardinalem appellarit, ac dumtaxat post Monastici habitus susceptionem humiliori se denominatione distinguere coeperit; Ideoque proclive est, ut credam, celeberrimum hunc Virum, se paulo ante Monastico Ordini devovisse in ipso fortasse S. Pauli Coenobio, ubi constat illum tunc habitasse, ac illustrissimum Vallumbrosanum Ordinem, sui Cardinalatus insignibus humili cucullo submissis, nova luce cumulare voluisse. At scrupulum movet, quod etiam post hoc tempus se Cardinalem expressè nominarit Melior, tum in Bulla Coelestini III. concedentis Privilegia Coenobio S. Mariae de Ferrariis dioecesis Theanensis VI. nonas Martii 1192. apud Ughellum *tomo* 6. tum in altera ejusdem Pontificis, qua confirmat Canonicorum Januensium privilegia IX. Kal. Martii 1193. apud eundem *tomo* 4. Responderi nihilominus potest, in Scripturis quidem proprio nomine editis ab illustri illa appellatione se continuisse Meliorem, nec tamen illi permissum esse, ut Pontificiis Bullis alio, quam propriae dignitatis nomine, se subscriberet.

Num. XLII.

Sententia* (a) *de Aqueductu purgando, favore Monasterii Sancti Michaelis, contra Priorem S. Pauli de Orto data a judicibus Pisani Communis Gerardo & Bonagente

„ Ex Archivo Monasterii S. Michaelis.

Anno 1193.

IN Eterni Dei Nomine Amen. Nos Gerardus ed Bonagens publici Pisanorum Arbitri & Judices. Reclamatione facta a Pisano Sindico Sancti Michaelis de

Burgo

Burgo pro ipsa Ecclesia contra Priorem Sancti Pauli de orto & contra Presbiterum Johannem Sindicum jam dicte Ecclesie pro ipsa Ecclesia ut fodere rescindere reficere & purgare locum qui est a Domo que fuit Guelfi per terram vacuam & terram ubi est Domus Sancti Pauli quo minus aqua & ingluvies que pervenit vel pervenire debet vel solita est olim pervenire vel currit aut incedit vel derivat aut incedere vel pervenire vel currere vel derivari debet vel salita est que pervenit a Claustro Sancti Michaelis per aqueductum vel rigagnum vel cloacam perveniat & derivetur & currat & incedat usque ad locum concavum qui est per Domum predictam juxta murum Sancti Pauli & ortum qui fuit Sancti Michaelis & foveam sive cloacam ea ratione quia est ei jus id faciendi & prohibendi impedientem & publica utilitas vertit & ex antiquo id fieri consuevit vel fuit constitutum sic & inde est antiqua incessio aquarum & purgationum Claustri & Domorum Sancti Michaelis & illarum regionum & propter situm loci non debet arcere aquam pluviam in rem *confessoriam & negatoria* (b) *& de aqua pluvia arcenda* (c) *& in factum* (d) *& Interdicto de Cloacis* [e] *& in factum generali* [f] *& Triticaria* [g] *& ex undito* [h] *& prescriptis verbis* [i] & quia ex edibus meis in predictum locum pertinet hic est dirigitur extenditur pervenit idest dirigi extendi & pervenire debet & officio Judicis & ex LEGE ULTIMA DE AQUA PLUVIA ARCENDA [*k*] & agere predictis rationibus & actionibus & interdictis directis & utilibus & officio Judicis & arbitrio. Presbiter Joannes Sindicus Sancti Pauli respondebat salvo quod populari actione non cogitur respondere cum suo nomine Sindicus Sancti Michaelis miserit properent non pro publico quod non credit se teneri suprascriptis actionibus & rationibus. At Pisanus suprascriptus ad sui fundandam intentionem publicum inducebat instrumentum per quod dicebat Abbatem Sancti Michaelis & ejus Ministros posse locum unde aqueductus esse postulatur aptare reficere & purgare sine contradictione Prioris Sancti Pauli ita ut cursus aque seu inglu-

vies que venit seu devenire debet ex claustro Sancti Michaelis possit ire per aqueductum libere duorum pedum per jam dictum locum sicut antiquitus aqua solita fuit currere & sicut oculata fide etiam adhuc videri sic clam ivisse perpendi potest. Et hoc quidem non solum hac ratione verum etiam per testes a se datos dicebat suam intentionem satis competenter se probasse. Maxime cum lege dicatur *debere tueri ductum aque ab his qui juridicundo presunt cui vetustate auctoritate prestitit & si jus non probaretur* [*l*] Ad hec suprascriptus Presbiter Johannes Sindicus Sancti Pauli taliter respondebat dicens. Et si verum fuit aliquo in tempore jam dictam servitutem predicto Monasterio deberi pactione stipulatione vel quolibet alio jure quod minime confitebatur suprascriptus presbiter Johannes tamen ipsa loci compositio ad id devenit a quo nunc non debet natura loci inhibente juris religione prohibente & contraria civili consuetudine refragante. Quod videri potest per ipsam naturam loci cum non sit locus ille ad quem aqueductus postulatur inferior sed superior. Et cum via publica sit ibi constituta per transversum que olim ibi non erat que sola suprascriptam servitutem impediret & si constaret illam suprascripto Monasterio deberi; Maxime cum in solo publico id non debeat fieri quod publico usui noceat. Unde nos suprascripti Arbitri & Judices auditis hinc inde eorum allegationibus & testium dictis diligenter inspectis suprascriptum Presbiterum Johannem pro suprascripta Ecclesia Sancti Pauli ut patiatur fodere & reficere & purgare locum qui est a domo que fuit Guelfi per terram vacuam & per terram ubi est domus Sancti Pauli juxta muros domus Uguiccionis Bellandi & facere aqueductum per illum locum & plastris coopertum expensis domus Sancti Michaelis itaut aqua & non stercora possit inde derivare & currere & incedere usque ad locum concavum qui est post domum predictam juxta murum Sancti Pauli predicto Pisano Sindico Sancti Michaelis de Burgo pro ipso Monasterio condepnamus. Lecta est in Curia nostra in domo Sacerdotum Sancti Petri de Palude presentibus Lamberto

berto quondam Rainerii Pandulfi & Jacobo filio Bernardi Jurisperito & Lamberto quondam Cote & aliis Millesimo centesimo nonagesimo tertio Indictione undecima septimodecimo Kal. Februarii.

Ego Affricante quond. Rainaldi de Vico Domni Othonis Romanorum Regis & postea Imperatoris Notarius predictam notitiam prout in Actis inveni scripsi atque firmavi.

N O T A E.

(*a*) Haec sententia est, quae occasionem nostrae Epistolae dedit, ob insignem Pandectarum usum in ea relucentem.

(*b*) Omni genere propemodum Actionis intentionem suam munire nititur Pisanus. Hic de *Confessoria & Negatoria* actione loquitur juxta *l.* 2. §. 1. *ff. Si servitus vindicetur*: nempe Digestorum *lib.* 8. *tit.* 5.

(*c*) Est titulus III. libri 39. Digestorum.

(*d*) Actio *in factum* dicitur, qua simpliciter spectatur id, quod quilibet fecit sine certa negotii forma. Extat Digestorum *titulus* 5. *lib.* 19. *de praescriptis verbis & in factum actionibus*.

(*e*) Habetur Digestorum *lib.* 43. *tit.* 23.

(*f*) Actio in factum dividi solet a Jurisperitis in *Generalem*, & specialem: alii & generalissimam addunt.

(*g*) De *condictione triticaria*, qua res aliae, praeter pecuniam, petuntur, vide Digestorum *lib.* 13. *tit.* 3.

(*h*) Fortasse legendum *ex vendito*; habetur autem digestorum *lib.* 19. *tit.* 1. *De Actionibus Empti, & Venditi*.

(*i*) Cum plura sint negocia, quam vocabula, praescribenda est quandoque forma agendi a Praetore in specialibus casibus ad conventiones innominatas pertinentibus, ut Digestorum *lib.* 19. *tit.* 5. *De praescriptis Verbis* docetur.

(*k*) Lex illa ordine ultima, sive finalis in Digestorum *lib.* 39. *tit.* 3. *De aqua pluvia arcenda*, quam Pisanus inculcat, eadem est ac quam inferius recitat, ut *nota seq.* subiiciam.

(*l*) Verba Scaevolae in ea *lege finali ff. de aqua pluv. arcen.* sunt: *Solere eos, qui juridicundo praesunt, tueri ductus aquae, quibus auctoritatem vetustas daret, tametsi jus non probaretur*. Corruptà verò Syntaxi in hac sententia recitantur, sensu retento; sive quod Syndicus ipse ex mente, non ex Codice verba recitans, lapsus sit, sive Scriba imperitus ita corruperit.

Num. XLIII.

Sententia Ildebrandi Volaterrani Episcopi de Controversia inter Praepositum S. Geminiani, & Plebanum de Cellulis

„ Ex Archivo Monasterii Angelorum Florentiae

Anno 1196.

IN Nomine Domini Amen. Nos Ildebrandus [a] Dei gratia humilis Vulterranus Episcopus. Audita & diligenter intellecta lite & discordia que vertebatur inter Lambertum Prepositum Sancti Geminiani pro sua Ecclesia ex una parte & Presbiterum Joannem Plebanum de Cellul. pro sua Ecclesia ex altera parte super quadam Ecclesia posita extra portam Castelli Sancti Geminiani in Burgo Cellulensi ad honorem Beati Mathei designatam à proximo predecessore nostro bone memorie Hugone [b] Vulterrano Episcopo. Recepta quoque eadem lite & discordia ab utraque parte cognoscenda & nostro arbitrio terminanda. Receptis hinc inde pignoribus & pena L. marcarum examinati argenti ad pondus de Monteli utrinque nobis & partibus vicissim sollemni stipulatione premissa obbligando se & suos Successores. Visis etiam & studiose intellectis utriusque partis rationibus. Habita quoque plena deliberatione & prudentum Virorum consilio. De nostro arbitrio definimus pronunciamus atque precipimus Ecclesiam vel Ecclesias que sunt vel imposterum fieri deberent in prefato suburbio esse communem vel communes pro indiviso Ecclesie Sancti Geminiani & Plebis de Cell. cum omnibus suis pertinentiis & possessionibus ac pensionibus acquisitis & nomine predicte Ecclesie vel Ecclesiarum acquirendis. Prope vero predictam Ecclesiam que est juxta predictam portam reservamus unam plateam plebi de Cell. que sit Plebis predicte & sit XIII. brachiorum in amplum & XVIII. in longum ad juxtam mensuram Canne pisan.

Item

Item cunctum populum qui est vel erit extra murum Castelli predicti videlicet a porta branche usque ad terminum positum supra portam Montis Staffuli que distat a porta predicta XXXI. Cannam ad cannam pisanam positam mensurando in medietate predicte porte minus medietate unius brachii. Sic tendit recto tramite usque ad superiorem cantum fornacis Tiniosi prout redit in cursum Sancti Martini quantumcunque a muro Castelli inferius infra his confiniis protendatur versus stratam sit parochialis predicte Ecclesie vel Ecclesiarum & in omnibus respondeat isti Ecclesie vel Ecclesiis sicut populus debet sue Ecclesie respondere. Preterquam in baptismate & sepulturis que Ecclesie Sancti Geminiani reservamus. De testamento autem totius populi predicti suburbii dicimus quod medietas dividatur equali parte inter Prepositum & Plebanum de altera vero medietate fiant expense ad sepulturam in presentia Cappellani Ecclesie predicte vel Ecclesiarum prefati suburbii. Et siquid residuum fuerit simili modo inter Prepositum & Plebanum dividatur. Item cunctum populum de Plebejo Cell. qui est vel erit in Castro S. Geminiani vel in aliis burgis liberum & absolutum adjudicamus Plebi S. Geminiani absque ulla alicujus vel aliquorum lite vel contradictione. Salvis tamen omnibus decimationibus istius populi & aliorum populorum ut ibi deinceps dentur ubi actenus dari consueverunt. Item si Prepositus excomunicaverit aliquem vel aliquos de populo predicti suburbii Plebanus habeat eum vel eos pro excomunicatos & habere faciat. Et si Plebanus excomunicaverit aliquem vel aliquos de populo predicti suburbii Prepositus habeat eum vel eos pro excomunicatos & habere faciat. Et si aliquis vel aliqui de prefato suburbio transferrent domicilia sua in Castrum Sancti Geminiani vel in aliis Burgis imminente vel urgente necessitate teneantur Ecclesie vel Ecclesiis prefati suburbii sicut populus qui remanet. Et si aliquis vel aliqui de populo predicti Castri vel de aliis burgis transferrent domicilia sua ad jam dictum burgum imminente vel urgente necessitate eodem modo

 tenea-

teneatur sue plebi sicut & populus qui remanet. Item volumus quod Ecclesia Beati Matthei quam olim bone memorie predecessor noster Ugo Volterranus Episcopus designavit in predicto Suburbio sine dilatatione edificetur cum domo competenti Sacerdoti communibus expensis Prepositi & Plebani & reedificetur cum tempus & necessitas exegerit. At siqua partium edificare noluerit teneatur sequi illam partem que voluerit edificare. Dicimus autem quod omnis introitus vel proventus Ecclesie vel Ecclesiarum predicti Suburbii & expense sint communes utrique. Item Cappellanus prefatus in his festivitatibus accedat ad plebem Sancti Geminiani ad exibendum obsequium in illa Ecclesia sicut ceteri sui Cappellani videlicet in festo Sancti Gemin. Sancti Johannis Baptiste. Sabbato Symbolorum [c] & Sabbato Sancto & in consuetis Letaniis & in majoribus Missis Paschalium dierum. Ad plebem vero de Cell. accedat ad Capitulum quando alii sui Cappellani ad hoc conveniunt. & in Festo Sancte Marie Mensis Augusti & in Epiphaniis. Ad conservandam verò perpetuam & illibatam concordiam inter has duas Ecclesias plebem scilicet Sancti Gem. & plebem de Castell. dicimus & firmiter precipimus ut festivitas Beati Gem. in toto Plebejo Cell. precipiatur custodiri & devote celebrari. Et quia solius Dei est futura plene cognoscere & ad hoc mens humana non potest sufficere si in his que dicta sunt vel in futurum poterunt apparere aliqua discordia oriretur. Quod Deus avertat. Nobis & Successoribus nostris diffiniendi interpretandi & determinandi sicut placuerit potestatem plenariam reservamus. Hec autem omnia in perpetuum & inviolabiliter observari precipimus sub pena superius denotata. Medietate pene parti injuriam passe reliqua vero medietate nostre Camere persolvenda. Damus etiam potestatem exigendi penam predictam illi parti que injuriam passa fuerit, ita quod medietatem pene sibi reservet & alteram medietatem nostre Camere prestet. Et pena soluta omnia superius dicta & dicenda inferius siquid superaddere voluerimus firma & rata sint in perpetuum.

Datum

Datum est hoc arbitrium in claustrum Plebis Sancti Gem. in presentia Domni Paganelli Canonici de Vulterris & Ildebrandi Prepositi de Monte Vult. & Abbatis . . . . Abbatie Adelmi [*d*] Gregorii Mangieri Pelati Parisii Tudini Buonensegne Buonaccorsi Castellani de Monteli. Ildebrandi Beringerii & Caccia Contis de Staggia Jacobi de Florentia Maizi de Senis Sassi de Castallia Drudoli de Monte Cerboli Mazolini de Uligano Ildibrandi Drudoli Riccii Jacobi advocati Lotterii Vicecomitis & aliis quam pluribus rogatis testibus Anno Domini MCLXXXXVI. XI Kal. Julii Indictione XIIII.

Die autem tertia sequente coram quibusdam de Testibus predictis jam dicti Prepositus & Plebanus dederunt interse unus alteri possessionem de Ecclesiis positis in burgo predicto & de omnibus eorum pertinentiis & possessionibus & pensionibus omnibus prout nuncupatur superius. Superaddimus autem nos Ildebrandus Dei gratia humilis Vult. Episcopus ut in predicta Ecclesia vel Ecclesiis positis in predicto suburbio celebretur officium a communi Sacerdote Prepositi & Plebani & eorum Successorum in perpetuum.

Ego Ildebrandus Dei gratia humilis Vult. Episcopus huic sententie SS.

Ego Crescentius Sacri Palatii Notarius his omnibus interfui & mandato dicti Domni Episcopi Ildeb. precibusque partium predictarum in publicam formam redegi.

N O T A E.

[*a*] Plura de hoc Ildebrando Volaterrano Episcopo Ughellus *tom.* 1. qui illum ab anno 1184. ad 1213. illam Ecclesiam rexisse affirmat.

[*b*] Ab anno 1174. ad 1184. Ugonem Episcopum Volaterranum sedisse arbitratur Ughellius *loc. cit.* Sed Abbas Lucentius illum ab anno dumtaxat 1181. eam Cathedram obtinere potuisse contendit, quippe ex Tabulario Volaterranensis Ecclesiae constet,

Petrum quemdam Episcopum dicto anno 1181. illic praefuisse, quo anno vivere desierit.

[c] Sabbatum hoc *Symbolorum* aliud esse non poterat, quam Sabbatum ante Dominicam Palmarum, quod & *Sabbatum in traditione Symboli* dici apud aliquos consuevit; Tunc enim Cathecumenis Symbolum fidei tradebatur, sequenti Sabbato Sancto memoriter recitandum, antequam baptizarentur. Id Ambrosiano ritu usurpatum testatur Dominicus Magri *in Hierolex.* ad voces *Sabbatum* & *Scrutinium*. Aut certè fuerat Sabbatum *Sitientes* dictum, quod Dominicam Passionis praecedit; in illo enim [aut in Sabbato ante Dominicam IV. Quadragesimae, pro vario regionum ritu] Symbolum ab aliquibus tradebatur Cathecumenis tum graeca, tum latina, aut propria etiam vernacula lingua, ac pluribus vicibus cum singulorum articulorum expositione repetebatur, post octo dies, nempe subsequenti Sabbato reddendum. Vide Martene *de antiqu. Eccl. Ritib. lib.* 1. *de Baptismo artic. XI.* Et Bailet *in fer.* 4. *hebdomadae III. Quadrag. Tom.* 4. *Vit. SS.*

Num. XLIV.

Bernardi, & Villanae Jugalium oblatio cum suis bonis Priori Camaldulensi facta pro erigendo Hospitali Mulierum

„ Ex Archivo S. Michaelis Pisarum.

Anno 1198. *Romano*, & 1199. *Pisano*.

IN Nomine Domini nostri Jesu Christi Dei Eterni. Anno ab Incarnatione ejus millesimo centesimo nonagesimo nono Indictione prima septimodecimo Kal. Julii. Ex hujus publici instrumenti clareat lectione quod Bernardus quond. Ildebrandi Pittini filius & Villana ejus uxor & filia quond. Orsici consentiente sibi ipso Viro suo sub legitima interrogatione mea Mathei Ordinarii Judicis aquo secundum legem interrogata & cognita est nullam pati violentiam sed pura & integra sua bona voluntate quisquis eorum in solidum obtulerunt se & omnia eorum bona mobilia & immobilia que ipsi habent & eis aliquo modo

modo competunt adverſus quamcunque perſonam & locum. Et ea omnia dederunt & conceſſerunt & irrevocabiliter inter vivos donaverunt omnipotenti Deo & Donno Uguccioni Camaldulenſi Monacho recipienti pro Donno Martino Priore Camaldulenſi [a] pro Eccleſia & Monaſterio Sancti Salvatoris Camaldulenſis heremi. Et nominatim unam petiam terre cum muris & omni ſua pertinentia poſite Piſis prope Eccleſiam Sancti Laurentii de Rivolta & tenet caput in via publica qua itur a ſupraſcripta Eccleſia Sancti Laurentii ad Eccleſiam Sancti Zenonis. aliud in terra Ugonis quondam Guidonis Boni. Latus in terra Hoſpitalis Sancti Laurentii ubi murus communis eſt qui ibi eſt. Aliud latus in terra Gerardi Maimonis & partim in terra Lamberti de Calciſana & ejus uxoris ubi eſt Biſcocca [b] & partim in terra filiorum quondam Guilielmi Ardicaſe & eorum Matris. Et alia petia terre vineate poſite prope ſupraſcriptam Ecccleſiam Sancti Zenonis extra muros Piſane Civitatis & tenet caput in Carraria dicta Sancti Epuli aliud in terra de Perlaſcingis latus in vinea BANDINI Aquiſti aliud in terra Nepotum Tinioſi Florelli & eſt Stariorum quindecim. Et aliam petiam terre poſite prope murum Piſane Civitatis deforis prope ripam de Perlaſcio. Et tenet Caput in via dicta Methana. Aliud caput in terra Eccleſie S. Pauli de orto. latus in terra Eccleſie S. Alexandri de ponte. aliud in terra Sancti Juſti de Perlaſcio. & eſt ſtaiora tria & parum plus. Et aliam petiam terre poſite in Valle Serchii in arena ubi dicitur Campo Marchi & tenet caput in flumine Serchio aliud in via publica cum uno latere aliud latus in terra que fuit Rainaldi Siberti. Et aliam petiam terre cum domo ſuperſe & omni ſua pertinentia poſite intra Civitatem Piſanam prope Eccleſiam S. Michaelis de Burgo & tenet caput in via publica aliud in terra Alexandrini ubi eſt Claſſus Communis latus in terra & domo de Frogis & partim in terra ſupraſcripti Alexandrini ubi murus eſt communis. aliud latus in terra & domo Bernardini ubi paries eſt totus eorundem Jugalium. Et inſuper eodem ſupraſcripto modo per omnia dederunt ſupraſcri-

prascripti Jugales suprascripto Donno Uguccioni ut dictum est recipienti totum jus quod ipsi Jugales habent in terra & domibus que sunt juxta terram & Turrim Simonis Kalendis & totum jus quod predicta Villana habet & sibi pertinet in domibus & Turribus que fuerunt Calamartii que sunt posite inter Ecclesiam Sancti Clementis & Ecclesiam Sancti Martini & tenent caput in Arno & palmentum & tinas & arcas & buttes & soppedanea & omnia eorum stuvillia & Massaricias & omnia eorum suppellectilia Cum omni jure & actione & proprietate & pertinentiis earum omnium videlicet predictorum. Et omnia jura & actiones que predictis jugalibus de suprascriptis omnibus vel aliquo eorum quocunque modo vel jure competunt suprascripto donno Uguicioni ut supradictum est recipienti dederunt & concesserunt & inrevocabiliter inter vivos donaverunt. Et preceperunt dicti jugales jam dicto Donno Uguiccioni intrare pro suprascripto Donno Priore pro jam dicta Ecclesia Sancti Salvatoris in possessionem omnium suprascriptarum rerum & juris & actionis & jure proprio suprascripte Ecclesie Sancti Salvatoris possidere. Et constituerunt se ea omnia pro suprascripto Domno Uguiccione pro jam dicto Donno Priore pro jam dicta Ecclesia Sancti Salvatoris jure proprio possidere. Qui vero Donnus Uguiccio dicit & protestatur quod prefatus Donnus Prior Camaldulensis promisit & convenit jam dicto Bernardo quod in suprascripta Terre petia de Sancto Laurentio de Rivolta faciet edificare hospitale ad opus pauperum Mulierum quod vocetur HOSPITALE MULIERUM in quo jam dicta Villana (*c*) Uxor prefati Bernardi debeat morari & habere victum & vestitum & necessaria convenienter secundum consuetudinem Camaldulensis Conventi. Et quod recipiet predictum Bernardum pro Converso vel Monacho prout ipse elegerit quando sibi placuerit. Et quod predicta vel aliquid predictorum non possint vendi vel alienari aliquo modo nisi pro utilitate & melioratione predicti Hospitalis. Et taliter hec omnia qualiter dicta sunt dicti Jugales & suprascriptus Donnus

Uguic-

Uguiccio me Matheum Judicem & Notarium ſcribere rogaverunt. Actum Piſis fori porte in domo Rainerii quondam Cari prope ſupraſcriptam Eccleſiam Sancti Michaelis. Preſentibus donno Ubaldo Hoſpitalario Hoſpitalis Sancti Fridiani & Donno Alberto Monacho Sancti Michaelis & Ugone Juriſperito quond. BULGARINI & Galleta quond. Gerardi Capovecchii qui ad hec interfuerunt rogati Teſtes. Coram quibus Teſtibus & me Matheo Judice & Notario in continenti dicti Jugales miſerunt ſe in manus dicti Donni Uguiccionis vice ſupraſcripti Domni Prioris Camaldulenſis pro predicta Eccleſia Sancti Salvatoris & Camaldulenſis Heremi.

Ego Matheus de Sancto Yſidoro de porta maris Domni Henrici Romanorum Imperatoris Judex Ordinarius atque Notarius hanc cartulam rogatus ſcripſi firmavi complevi & dedi.

N O T A E.

(*a*) Is fuit Martinus II. ejus nominis Prior Camaldulenſis; unde corrigendi ſunt vulgati Catalogi, in quibus Placidus ejus Anteceſſor obiiſſe dicitur anno 1199. x. Kal. Septembris; cum ex hoc indubitato monumento conſtet, jam menſe Junio 1198. Martinum illi ſucceſſiſſe, ac forte aliquanto antea jam electum, qui anno 1205. die 25. Martii Piſis obiit, dum loca Ordinis viſitaret, in Monaſterio Sancti Zenonis ſepultus.

(*b*) Nimirum terra in angulum rectum flexa per modum litterae L, quam figuram Geometrae cum Euclide *lib* 2. *elem. def.* 2. appellare *Gnomonem* conſueverunt. In alio contractu anni 1196. quo Marinellus vendit Bonfilio Aurifici quandam terram, & habetur in Archivo noſtro, ſic legitur: *a quo capite orientis ſupraſcripta petia terre reſolvitur in el littera & Biſcocca*. Apud Lucenſes Agrimenſores id vocabulum adhuc eademque ſignificatione uſurpatur.

(*c*) Neſcio, an haec Villana eadem eſſe cenſenda ſit cum Venerabili Villana, cujus mentio in Vita S. Gerardeſchae Piſanae Viduae Ordinis noſtri *num.* 68. apud Papebrochium 29. *Maii*: ubi & recitat *in Comment. praevio n.* 3. Notam marginalem Codici adſcriptam, in quo vita ejus Beatae continebatur, ſcilicet: *Nota*

quod

quod haec D. Villana mirarum virtutum femina de qua hic fit mentio fuerit avia Joannis de Cinquinis patris fratrum Bartholomei Jacobi & Francisci Cinquinorum Fratrum Predicatorum : unde & ex notitia sibi a D. Francisco Maria Cessinio Equite communicata, quod Bartholomeus de Cinquinis in ordine Praedicatorum floruerit ad annum 1333. concludit optimè Papebrochius B. Gerardescam ad annum 1240. pervenisse, quo illi coaeva Villana haec vivere potuerit. Ipsa porro Gerardesca memoratur in contractu cujusdam venditionis in Archivo hujus Monasterii de anno 1205. 13. Kal. Martii & *filia quondam Gerardi* dicitur, unde propius adhuc ad aetatem Villanae in superiori contractu memoratae accedit, potuitque B. Bonam, quae anno 1107. obiit, viventem agnoscere, contra quàm doctissimo Papebrochio videatur. Urbanus autem Abbas S. Savini, & Gregorius Abbas S. Michaelis Discalceatorum Congregationis nostrae Pulsanensis, in ejusdem S. Gerardeschae vita commemorati *num.* 22. & 54. non aliunde ignoti sunt, ut idem Papebrochius supponit; sed ille quidem memoratur in contractibus anni 1228. Indict. 1. quarto Idus Febr. & 1236. Pisani Indict. 8. nonis Maii, & in anno sequenti Indict. 9. 4. idus Junii, manu Guidonis quondam Pagani Notarii Domni Frederici Imperatoris; hic verò florebat anno 1234. ex quodam instrumento emptionis terrarum in curia S. Mariae Montis *pretio* 44. *denariorum novorum pisani Conii*. Actum in pede ripe Sancte Marie Montis 4. Nonas Junii Indictione septima manu Henrici Imperatorie dignitatis Judicis & Notarii.

Num. XLV.

Fragmentum Instrumenti de danda quadam possessione juxta sententiam à publicis Appellationum Cognitoribus emanatam

„ Ex Archivo S. Michaelis.

Anno 1202. *Pisano, seu* 1201. *Communi*.

. . . . . Prope Ecclesiam Sancti Philippi que tenet caput cum uno latere in viis publicis aliud caput in terra vacua alterum latus in terra & casa filiorum quondam Philippi Vernagalli. Data est suprascripta possessio a jam dicto Consule Sancte Pretiose secundum formam civilis constitutionis

nis pro eo quod continetur in sententia data a Lanfranco & Petro & Ugone BULGARINI publicis appellationum Cognitoribus & scripta per manum Ugolini de Septimo Judicis & Notarii salvis rationibus quicunque in ea habent. Presentibus Gerardo quondam BANDINI aurificis & BANDINO quond. Baronis Speciali & Bernardo quond. Lamberti de Saxo & aliis pluribus Dominice Incarnationis anno millesimo ducentesimo secundo Indictione quinta octavo kal Novembris.

Ego Ugo quond. Gerardi Hospinelli Donni Imperatoris Judex & Notarius prefate missioni possessionis interfui & ideo ad memoriam habendam & in posterum conservandam hanc cartulam scripsi atque firmavi.

Num. XLVI.

Terminatio cujusdam Viae à publicis Pisanorum Arbitris facta.

„ Ex Archivo S. Mariae Angelorum Florentiae.

Anno 1206. *Romano*, *&* 1207. *Pisano*.

IN Eterni Dei Nomine Amen. Nos Balduinus & Bonagens Publici Pisanorum Arbitri & Judices. Notitiam facimus qualiter Presbiter Tediscus Ecclesie Sancti Ylarii pro ipsa Ecclesia & Ugo Bocconarius pro se & Balduinasco nepote suo & Robertus Vulpulus & Pecciarellus ante nos venere dicentes Petrum hospitalarium hospitalis Sancti Fridiani pro ipso hospitali imbrigasse sepe & fovea viam qua itur ad Leccios. Quare a nobis postulabant eam disbrigare & ad convenientem formam ipsam reducere. Hospitalarius vero pro hospitali a nobis inde inquisitus dicebat se non imbrigasse predictam viam. Unde nos supradicti Arbitri & Judices publice utilitati providentes visa a nobis suprascripta via & ejus imbrigatione. Ne de cetero ali-

qua

qua dissensio inde oriatur ipsam viam sic ordinavimus. Videlicet a capite occidentis elevata mensura a cantone domus Riccii de Buscia sic ut trahit linea domus suprascripti Balduinaschi versus terram suprascripti hospitalis sit dicta via pedes decem & novem & ibi ponatur terminus & ab ipso termino vadat dicta via recta linea ad cantonem domus suprascripti hospitalis que est ex parte occidentis & meridiei. Et quicquid est extra dictam lineam versus viam ut inde auferatur & de cetero ibi non fiat & sic dicta via terminetur dicimus & pronunciamus. Lecta extra muros Pisane Civitatis ibi prope ante cellarium suprascripti Ruberti Vulpuli prope Ecclesiam Sancte Agnetis. Presentibus Massese Tempanelli & Jacobo filio suprascripti Riccii Buscie & Marignano Erri & Tamso & aliis. Dominice Incarnationis anno millesimo ducentesimo septimo Indictione nona quintodecimo Kalendas Maii.

Ego Ascianensis Domni Imperatoris Frederici Judex Ordinarius & Notarius hanc notitiam sicut in Actis suprascriptorum Arbitrorum & Judicum inveni mandato etiam ipsius Bonagentis Arbitri & Judicis fideliter scripsi & firmavi.

Num. XLVII.

„ *Sententia in favorem Pisani Capituli circa Claustrum*
„ *Canonicae Pisanae*

„ Ex authentico apud D. Canonicum de Abramo.

Anno 1214.

IN Eterni Dei Nomine Amen. Cum Sigerius Pancaldi Vicecomes & Ugo Grotti atque Calcisanus Dei gratia Pisanorum Rectores pro se & Sirmondello Socio eorum similiter Rectore pro Civitate & ejus Communi sequentes consilium Senatorum & sex hominum per portam volentes

tes ex reverentia Domini nostri Jesu Christi Salvatoris omnium & Sanctissime ejusdem genitricis semper virginis Marie & pro honore Domini Pape & ipsorum mandatorum observatione & Domni Lotharii (*a*) Pisani Archiepiscopi dampnis Sancte Marie Pisane majoris Ecclesie & incommodis Canonicorum que pro mutatione Claustri & ejus occasione edificiorum eis provenerunt & sunt providere. Nobis Ildebrando Familiato & Gerardo quondam Petri Guiliccionis publicis Pisanorum arbitris & judicibus adhuc in coemptione & restauratione providenda inter DomnumBartholomeumArchipresbiterum suprascripte Ecclesie & ejus Fratres pro Ecclesia & Capitulo ex una parte & Donzellum operarium opere S. Marie pro opera ex altera ut in cartula rogata per Guiscardum Cancellarium continetur imposuerunt. Unde nos suprascripti Arbitri & Judices reminiscentes & in memoria nostra habentes qualiter in altera pronunciatione diximus si de ipsis a nobis prolatis aliqua questio oriretur a nobis jam sopiendam & terminandam reservavimus providentes qualiter & pro quibus restaurum in ipsa pronunciatione comprehensum Operario pro Opera dedimus quod fuerat pro domibus in quibus Devote alie stabant (*b*) preter dominam Mabiliam & Contildam relictam Ugonis Caluffe que remanebant & esse debebant Canonicorum. Cum plurimum & valde expediat honore suprascripte ecclesie & istius Civitatis ut hec questio penitus sopiatur & de cetero non fiat predicto Domno Archipresbitero & Fratribus Canonicis jam dicte Ecclesie & Operario pro suprascripta opera sicuti nobis melius visum fuerit in requisitis dicimus & pronunciamus ut predictus Operarius pro Opera habeat totam terram cum domibus a medietate prioris hostii domus furni ab arringo [*c*] ex parte hospitalis usque ad olivam proximiorem stabulo usque ad viam de intus sicut trahit recta linea & a capite furni ab arringo alio remanente pro via usque ad alteram viam de intus cum omni suo jure & pertinentia. Et predictus Archipresbiter cum Canonicis faciat pro Ecclesia predicto Operario Cartulam dationis & confirmationis in lau-

in laudem sapientis convenientis de suprascripta terra cum domibus & omni sua pertinentia & ut dictus Operarius pro Opera faciat cartulam dationis & confirmationis de tota terra Opere sicut primum in alia pronunciatione diximus confirmantes quod dictum est in ea de amplitudine arringi & quod fiat sicut prius diximus pronunciantes ut domum in qua habitat domna Mabilia & sicut trahit usque ad Campanile tollat dictus Operarius vel tolli faciat & omnes alias domos in quibus Devote permanent & tota materia sit ejus & omne edificium pro Opera. Et Canonici pro Ecclesia & Capitulo habeant omnes domos Opere sicut sunt in quibus habitat Operarius & familia ejus recludentes Claustrum cum omni sua pertinentia. De alia vero terra horti que est ab oliva proximiori stabulo versus muros Civitatis (*d*) dicimus & pronunciamus ut sit Archipresbiteri & Canonicorum pro Ecclesia & Capitulo & apud eos sine questione aliqua remaneant. De aliis superficiebus que sunt ex parte Orientis in filari Devotarum dicimus ut superficia auferant si voluerint & si non predictus Archipresbiter & Canonici pro suprascripta Ecclesia in laudem magistrorum pro disfactis ei solvant. Et domum Bonaccursi vel Iene si est Iene disbrigent Operario & expediant. De filari domorum quod pro amplitudine arringi debet auferri sicut diximus & confirmamus & tanto plus ut quicunque eorum inde voluerit auferre suum edificium possit facere & aliis vendere vel Commune Civitatis inde omnes expediat vel expediri faciat itaut arringum & platea ibi sit & fiat & ut nullum impedimentum sit Claustro quod fieri debet vel esse possit quominus fiat & compleatur ad honorem suprascripte Ecclesie majoris & Domni Archipresbiteri & Canonicorum & quicquid ex parte platee Ecclesie Sancte Marie diximus pro firmo habentes & sic esse debere. Hec omnia ex nostro officio & auctoritate secundum impositionem nobis factam in cartula suprascripti Cancellarii apprehensam quam nos habuimus confirmamus. Lecta est ante Hospitale Sancte Marie Majoris Ecclesie, presentibus Domno Lothario Pisano

Archie-

Archiepiscopo & suprascriptis Domno Sigerio Pancaldi & Ugone Grotti atque Calcesano & Sismondello Pisanorum Rectoribus & suprascripto Domno Bartholomeo Archipresbytero & Magistro Bonajuncta & Domno Henrico Canonicis suprascripte Ecclesie & Gulielmo Notario & Bando filio suprascripti Ildebrandi Familiati & aliis D.I.A. 1214. Indict. 2. XI. Kal. Aprilis (*e*).

Ego Ghellus filius quondam Ascianensis Judicis & Notarii Imperialis Aule Notarius hanc notitiam vel pronunciationem sive dictum sicut in Actis suprascriptorum Arbitrorum inveni scripsi & firmavi.

NOTAE.

[*a*] Rexit Pisanam Ecclesiam Lotharius Rosarius Cremonensis ab Innocentio III.ad hanc Cathedram assumptus anno 1209.cum esset antea Vercellensis Episcopus, juxta Ughellium *tom.* 3. idemque an. 1215. seu 1216. Patriarcha Jerosolymitanus effectus, cum in Orientē se contulisset Pisanam classem comitatus ad sacrum bellum illuc à Pisana Republica transmissam. Ad hunc Lotharium scripsit Innocentius III. *Cap. Si diligenti. De foro compet. & de Praescrip.* ipsum corripiens, & quod docuerit Clericum suo Privilegio renunciare posse, & quod à Marchione Massae Judice Calaritano juramentum fidelitatis exigeret. Quorum primum saltem arguit, in jure etiam Caesareo non admodum versatum fuisse Lotharium hunc, nam in *l. jus publicum ff. de Pactis & l. neque pignus ff. de div. regul. jur.* disertè habetur, privatorum pacto jus publicum tolli non posse, aut illi derogari. Tantùm abest, ut confundi debeat Lotharius noster cum aequivoco Lothario celebri Jurisconsulto Azonis Aemulo, ut facit Panzizirolus *de clar. Leg. interpret. lib. 2. cap. 16.* illum etiam nimiae in mulieres licentiae infamia laborasse notans, a qua labe Archiepiscopus noster longissimè abfuit, ab omni impuritatis nota alienus; Itaque eruditiss. noster Amicus Franciscus Arisius in sua Cremona Litterata utrumque optimè distinguit, de Jurisconsulto quidem agens ad annum 1189. de Praesule autem Vercellensi, ac Pisano, & mox Hierosolymitano Patriarcha ad annum 1215. agens; Unde cavendum, ne alterius opera alteri tribuantur.

[*b*] Hae Devotae erant oblatae Basilicae Pisanae, quae nedum se ipsas

R mini-

ministerio, ac servitio hujus Ecclesiae addixerant, pro illius, & sacrae suppellectilis munditie, ac opportuna reparatione, verum etiam panem & vinum pro sacrificio Altaris, & pro eulogiis in nonnullis solemnitatibus publicè offerebant, ut Oblationariae Foeminae Scholae S. Ambrosii in Mediolanensi Ecclesia: Imò etiam conficiendis azimis panibus cum assistentia Clericorum, & cum certis ritibus sacris, praecipuoque delectu granorum frumenti sibi à Castaldio ipsius Ecclesiae subministrari, destinabantur, ut ex antiquo Pisanae Liturgiae Codice, aliisque monumentis demonstrat Vir eruditiss. Canonicus Joseph Martinius *in Append. Theatri Basil. Pis. cap.* 14. Nunc adhuc viget in eadem Basilica Matronarum piarum Congregatio, quas Canonissas vocant, peculiaribus Constitutionibus Deiparae cultui promovendo potissimùm addictarum, privilegiis, gratiis, & indulgentiis specialibus à S. Sede Apostolica impetratis, & communione bonorum spiritualium, quae in multis Religionibus fiunt, gaudentium, quibus & Gherardus Generalis nostri Ordinis Camaldulensis similem communicationem largitus est, ut idem Martinius testatur.

[c] Arringus, sive Arrengheria forte idem, quod italicè dicimus *Ringhiera* ex Ducangio: nisi potius hoc loco spatiosum campum significet; nam infra legitur *de filari domorum, quod pro amplitudine Aringi debet auferri, &c.* Certè apud Menagium *in origin. lingu. Ital.* haec vox plateam, seu campum equestribus ludis, & concertationibus destinatum exprimere videtur, ex Langobardica voce *Ringh* (inquit Scipio Amiratus) quae campum militarem, vel etiam, ut nunc apud Germanos, circulum, sive *circum* significat; ut & *Rhingen* Theutonica lingua *conflictum*, aut *Luctam* indicat.

[d] Patet hinc, initio etiam saeculi XIII. Pisanam majorem Basilicam prope muros Civitatis constitutam fuisse; ac sanè nulla extat memoria majoris amplitudinis Urbis hujus Boream versus, qualem vulgò sibi persuadent, ne tam insigne Templum in angulo extremo Civitatis à Pisanis extructum fateantur.

[e] Nempe Incarnationis Dominicae Anno MCCXIV. qui & Stylo Romano, & Pisano simul tribus primis mensibus usque ad diem XXV. Martii decurrebat, & indictione illa secunda notabatur.

Num.

Num. XLVIII.

Remissio cujusdam Controversiae ad jus ordinarium per Judices Novae Curiae Pisanorum.

„ Ex Archivo S. Mariae Angelorum Florentiae.

Anno 1231. *Communi*, & 1232. *Pisano*.

IN Xpi Dei Nomine Amen. Cum coram nobis BANDINO de Quosa . . . . dello quond. Bottaccii & Guillielmo de Pottatis publicis Pisanorum nove Curie Judicibus Bellandinus Hospitalarius Hospitalis S. Laurentii de Rivolta vel S. Michaelis de Burgo pro Gontilda relicta Lamberti de Calcisana & Leulo quond. suprascripti Lamberti & pro unoquoque eorum in solidum ita quod nulli eorum inquietationem facta liberatio contingat de inquietatione & turbatione & invasione possessionis unius petii terre cum domo & fructibus ibidem existentibus quod est positum prope Ecclesiam Sancti Laurentii & tenet unum caput in via publica aliud in terra suprascripti Hospitalis latus in terra filiorum quond. Guilielmi Ardessi aliud latus in terra suprascripti Hospitalis & partim in fovea vel pedagno & interesse de solidis centum denariorum. Qui Hospitalarius pro ipso Hospitali ante nos veniens dixit predictum petium terre non imbrigare nec molestare sed ipsam possessionem sibi pertinere debere dicebat. Unde nos suprascripti Judices visis & auditis Confessionibus & rationibus utriusque partis & diligenter consideratis *extraordinario modo* secundum ea que coram nobis proposita sunt & allegata. Hanc questionem nostra notitia *ad jus ordinarium* mittimus.

Data & lecta Pisis in suprascripta Curia que retinetur in domo Pisani Communis presentibus Rossselmino de Cascina & Henrico Guitte & Henrigetto filio Raindimani & aliis. Dominice Incarnationis anno mille-

ſimo ducenteſimo trigeſimo ſecundo Indictione quinta pridie Idus Octobris.

Ego Ubaldus quond. Vitalis Apoſtolice Sedis Notarius & nunc dicte Curie Scriba publicavi hanc notitiam mandato ſupraſcriptorum judicum ſcripſi & firmavi.

Num. XLIX.

Notitia cujuſdam Judicati Bernardi Fageli Piſanorum Arbitri & Judicis favore Henrici Abbatis S. Michaelis Piſanorum.

„ Ex Archivo ejuſdem Monaſterii.

Anno 1134. *Piſano, ſed* 1133. *Communi.*

IN Eterni Dei nomine Amen. Ego Bernardus Fagelus publicus Piſanorum Arbiter & Judex Notitiam facio qualiter Donnus Henricus Abbas Eccleſie & Monaſterii Sancti Michaelis de Burgo ante me veniens petiit a me ut ex officio meo facerem ſibi adſignationem de infraſcriptis petiis terrarum. Primum quorum eſt poſitum in Ciſanello & tenet caput in Aldio aliud caput in Arno latus in terra Nepotum ſui [a] & ſuorum Conſortum aliud latus in via publica. Secundum petium eſt terra campia poſitum in ſupraſcripta Villa & tenet caput in via publica aliud in terra Ugolini de Bamba latus in via publica aliud in terra quam laborat & tenet Ricoverus Albithelli. In quibus petiis terrarum donnus Guido olim Sindicus ſupraſcripti Monaſterii pro ipſo Monaſterio miſſus fuit in *tenens* [b] contra ſupraſcriptum Ildebrandinum ex precepto ſibi facto a Jacobo Boctone olim Judice & Aſſeſſore Domni Ugonis Lupi [c] Piſanorum Poteſtatis & ſcripto a Pojo Notario quondam item Poii videlicet pro libris ſexagintaquinque denariorum in predicto comprehenſis. Que verba ſupraſcripto Ildebrandino per apparitorem meum nota

nota feci. Unde ego suprascriptus Arbiter & Judex vita carta suprascripti precepti & visa carta predicti *tenens* scripta ab Ugolino Notario quondam Guidonis. Visa etiam estimatione suprascriptorum petiorum terrarum facta sub sacramento coram me a quibusdam hominibus illius ore ubi dicta terrarum petia posita sunt prout moris est & eam in quantum mihi conveniens visum fuit sequens Staiora VIII. supradicti secundi petii terre ex parte occidentis cum voluntate & parabola suprascripti Ildebrandini pro libris LXXII. inter Capitale & penam & expensas suprascripto Domno Henrigo Abbati suprascripti Monasterii pro suprascripto Monasterio adsigno & adjudico & de superfluo dicti teneris eum reiicio & reiici debere dico & pronuncio & ex meo officio inde notitiam facio. Data & lecta est Pisis in curia Arbitrorum que est in domo Pisani Communis presentibus Gallo quondam Moneta & Rainerio de septimo & aliis. Dominice Incarnationis anno millesimo ducentesimo trigesimo quarto Indictione septima octavodecimo Kal. Decembris.

Ego Thomas filius Bartholomei Domni Imperatoris Notarius & nunc suprascripte Curie Scriba publicus hanc notitiam mandato suprascripti Arbitri scripsi atque firmavi.

NOTAE.

(*a*) Hinc patet Henricum hunc Abbatem, Pisanum fuisse, qui Monasterio praefuit ab anno 1227. ad 1235.

(*b*) Hoc vocabulum *possessionem* indicare hoc loco videtur. Ducangius ait *tenens* significare *Reum*, sicut vox *Petens* denotat *Actorem*; sed ex pluribus contractis evincitur prior significatio, ut ex nota sequenti.

(*c*) Ejus mentio est in Constitutis Pisanis, ut Cl. Valsecchius indicat *pag.* 15. *suae Epistolae*. In quodam instrumento, quo Guilielmoctus Aurifex *Operarius opere Sancti Domenici de Burgo* (nempe Hospitalis, ut ajunt, *Trovatellorum* à B. Dominico Vernagallo Monacho hujus Monasterii S. Michaelis erecti) mittitur *in possessionem & tenere* quarumdam terrarum, idem Ugo Lupus dicitur *Marchio Soraniae*.

 Num.

Num. L.

Privilegium Pisanae Universitati a Clemente VI. concessum, ut Legentes, & Studentes Beneficiati, etiamsi non resideant, fructus, & proventus beneficiorum obtinere & percipere possint.

„ Ex Archivo Reformationum Civitatis Florentiae.

Anno 1343.

CLemens Episcopus Servus Servorum Dei Ven. Fratri Archiepiscopo Pis. & dilectis filiis S. Pauli Ripe Arni Pisan. ac S. Michaelis de Burgo Pisan. Monasteriorum Abbatibus Salutem & Apostolicam Benedictionem. Attendentes providè quod ex litterarum scientia dono celesti spiritualiter & temporaliter bona publica proveniant & privata quodque ab ipsius Professoribus fidelis instruitur populus & reducitur exorbitans ad semitam veritatis libenter ea concedimus per que scientiarum fructus valeat adaugeri. Cum itaque nos nuper auctoritate Apostolica duxerimus statuendum ac etiam ordinandum ut in Civitate Pisana de cetero esset Studium generale illudque perpetuis futuris temporibus in eo jugiter in sacra pagina jure Canonico & Civili in medicina & in qualibet alia licita facultate ac Doctores Magistri & Studentes ibidem omnibus privilegiis libertatibus & immunitatibus concessis Doctoribus Legentibus & Scholaribus in Studiis Generalibus commorantibus gauderent & uterentur prout in nostris Litteris super hoc confectis plenius continetur. Nos cupientes quod hujusmodi Studium continuum auctore Domino susciperet incrementum, Dilectorum filiorum Communis & Populi Pis. in hac parte supplicationibus inclinati Dilectis filiis universis Doctoribus & Magistris ac Scolaribus Studii Pis. auctoritate predicta tenore litterarum nostrarum duximus indulgendum ut ipsi & singuli

guli eorum in dicto Studio in sacra pagina in jure Canonico & Civili in medicina & qualibet alia licita facultate in Civitate predicta Legentes aut Studentes fructus redditus & proventus omnium beneficiorum suorum Ecclesiasticorum que tunc obtinebant & inposterum obtinerent etiamsi dignitates personatus aut officia forent & Curam animarum haberent. Dummodo dignitates hujusmodi majores post Pontificales in Cathedralibus & in Collegiatis Ecclesiis principales non existerent in ea integritate libere usque ad quinquennium percipere valerent. Quotidianis distributionibus dumtaxat exceptis. Tamquam illos perciperent si in Ecclesiis in quibus hujusmodi Beneficia forent personaliter residerent. Nec interim ad residendum in ipsis aliquatenus tenerentur. Neque ad id inviti coarctari valerent. Non obstantibus si Doctores ipsi Magistri & Scolares in eisdem Ecclesiis non fecerint primo consuetam residentiam personalem ac quibuscunque statutis & consuetudinibus earumdem Ecclesiarum contrariis juramento confirmatione Apostolica vel quacunque alia firmitate roboratis. Etiam si de illis servandis & non impetrandis litteris Apostolicis contra ea & ipsis litteris nos utendo a dictis Doctoribus Magistris & Scholaribus vel ab aliis impetratis seu quocunque modo concessis iidem Doctores Magistri & Scolares per se vel Procuratores eorum prestiterint vel in antea eos prestare contingeret juramentum. Seu si Locorum Ordinariis ab eadem sit Sede concessum vel medio tempore concedi contingat quod Clericos & Personas Ecclesiasticas suarum Civitatum & Diecesum in Dignitatibus seu Personatibus constitutos compellere valeant per subtractionem proventuum suorum Ecclesiasticorum vel alias ad residendum personaliter in eis. Seu si eisdem Ordinariis & dilectis Filiis Capitulis dictarum Ecclesiarum a prefata sit Sede concessum vel interim concedatur quod Canonicis & Personis earumdem Ecclesiarum etiam in dignitatibus vel personatibus constitutis fructus redditus & proventus Beneficiorum eorumdem ministrare in absentia minime teneantur & ad id compelli non possint per

 litteras

litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de Indulto hujusmodi mentionem. Et quibuslibet Privilegiis & Indulgentiis & Litteris dicte Sedis generalibus vel specialibus quorumcunque tenorum existant per que nostris litteris non expressa vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri & de quibus quorumcunque totis tenoribus specialis mentio in eisdem nostris litteris sit habenda. Proviso quod beneficia prefata debitis interim obsequiis non fraudentur & Animarum cura in eis quibus illa imminet nullatenus negligatur sed per bonos & sufficientes Vicarios quibus de ipsorum Beneficiorum proventibus necessaria congrue ministrentur diligenter exerceatur & deserviatur inibi laudabiliter in divinis. Quocirca discretioni vestre per Apostolica Scripta mandamus quatenus vos vel Duo aut Unus vestrum per vos vel alium seu alios fructus redditus & proventus predictos faciatis auctoritate nostra Doctoribus Magistris & Scolaribus ac Studentibus Clericis in ipso Studio residendo vel eorum Procuratoribus ipsorum nomine per dictum quinquennium juxta hujusmodi concessionis nostre tenorem integre ministrari. Non obstantibus omnibus supradictis seu si eisdem Ordinariis & Capitulis aut quibusvis aliis communiter vel divisim à prefata sit Sede indultum quod Interdici suspendi vel excomunicari non possint per Litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de Indulto hujusmodi mentionem. Contradictores authoritate nostra appellatione postposita compescendo. Datum Avinioni quarto nonas Decembris Pontificatus nostri anno secundo.

F I N I S.

INDEX
VETERUM MONUMENTORUM.



XXVI. *Di-*

peria-

ANI-

ANIMADVERSIONES

Circa quaedam Addenda, & Emendanda.

OB Auctoris absentiam à loco impressionis, & mutatum consilium circa Documenta in Appendice imprimenda, quorum aliqua interim mutanda fuerunt, quibusdam expunctis, & alteri loco reservatis: quae res eorum ordinem aliqua ex parte turbavit: nonnulla animadvertenda occurrunt, quae in editis jam foliis emendatione indigent, & Lectoris diligentiam exposcunt, ut correctionem hic indicatam adhibeat, & pauca haec Addenda animadvertat, antequam operis lectioni se applicet;

Nimirum ad *pag.* 40 *lin.* 4. ubi habetur *n. XLI.* lege *n. XLII.* & ibidem *lin.* 5. loco *n. XLV.* corrige *n. XLVI.*

Rursus *ad pag.* 41. *lin.* 17. dele verba illa „ nusquam in codice usitata, &c. „ Fatemur enim, vacuam seu vacantem possessionem utique in Codice Justinianeo usurpari, ut patet ex *l.* 2. 3. *&* 7. *C. de adquir. & detin. possess.* & infra *pag.* 172. *lin.* 5. expresse idipsum a nobis notatur; sed cum haec scriberemus, cuidam Jurisconsulto, qui eam phrasim in Digestis dumtaxat à se deprehensam fidenter jactabat, absque ulteriori examine, fidem imprudenter habuimus; sed ne Peritorum quidem testimonio standum esse didicimus, ac propriis oculis recognoscenda esse quaecunque asserere volumus ut indubitata.

Eadem pag. 41. *lin.* 24. *&* 25. verba illa *usurpatam a Pisanis phrasim, &c. annis, &c. Stylo Pisano; idest communi more*, non italico, seu cursivo, ut ajunt, charactere exprimenda erant, sed communi, & rotundo, quo totum opus excusum est.

Ad pag. 47. *lin.* 34. delenda est promissio parenthesi inclusa; nec enim Vitam illam S. Bononii in Appendice Veterum Monumentorum edere postmodum placuit, sed nostris Annalibus ejus publicationem, certis ex causis, reservandam censuimus.

Ad pag. 76. *lin.* 12. vacat numerus ex Appendice Monumentorum citandus hoc modo: *n. XLIII.*

Ad pag. 77. *lin.* 28. Adde „ Porrò non omittendum, quod ejusdem Raynerii mentio perhonorifica occurrit apud Dempsterum *in Hetrur. Regal. lib.* 5. *cap.* 2. *n.* 42. qui sic scribit: *Rainerius aut Reinberus, sive, ut alii volunt, Raguerius Ordinis Praedicatorum ex familia Granchia, Generalis Ordinis sui, reconditae doctrinae, gravis eloquentiae, & magnae scientiae, ait Fauntius Campanus MS. lib.* 5. *egregium opus scripsit, quod Summam Pisanellam, nomine non addito, vocavit. Bibliotheca mundi. Claruit, ut vult Trithemius, anno* 1300. *Est*

& opus

& opus MSS. apud me, ***PRAELIA THUSCORUM*** *octo libris comprehensum, cujus est principium:*

Urbs mea, te memorem faciat Romana vetustas.

Verùm in multis cespitat haec Dempsteri relatio, ac diversos Auctores in unum confundere videtur „

Ad pag. 85. *lin.* 19. post verbum „ auctoritas „ adde: „ Ut mirum non sit, si tempore Justini Imperatoris, ejusque anno septimo, idest anno Christi 572. in diplomate Ravennae scripto in papyro, quòd in sua eruditissima Historia Diplomatica *pag.* 163. *num.* 9. edidit Clariss Marchio Scipio Maffeus, legatur usurpata phrasis: *in quam vacuam a se possessionem*, ex Codice, & Pandectis jam tum in Italia cognitis derivata, ut supra observavimus. Et verò, &c. „

Ad pag. 87. *lin.* 25. post verba „ *qui fuit Pisanus*, adde „ Quin & Dempsterus *de Hetr. Reg. lib.* 5. *cap.* 2. *n.* 44. Bulgarum inter illustres Pisanos viros recensens, eundem *ex nobilissima Vecchianorum familia* fuisse asserit; cujus asserti fides apud ipsum esto.

Ad pag. 88. *lin.* 33. ubi habetur *n.* ***XXVIII*** lege *n.* ***XXIX.***

Ad pag. 89. *lin.* 1. pro citatione *n.* ***XXXIX.*** subroganda est *n.* ***XL.*** eademque pag. lin. 4. citatio *n.* ***XL.*** deleri debet, nam consultius visum fuit, documentum illud praetermittere; *lin.* 5. pro *n.* ***XLIII*** substitue *n.* ***XLIV.*** mox *lin.* 7. loco *n.* ***XLIV.*** lege ***XLV.*** Item *lin.* 8. dele citationem documenti *n.* ***XLVI.*** quod pariter praetermisimus, alio in ipsius locum subrogato, *lin.* 9. pro documento ***XLVII.*** substitue ***XLVIII.*** & linea *seq.* pro *de Quota* lege *de Quosa*.

Ad pag. 92. *lin.* 1. post verbum *obsedit*, Adde „ De eodem Castro Bulgari Thomas Dempsterus *lib.* 6. *cap.* 15. haec habet: *Bulgarium hic oppidum: an a Bulgaris conditum, aut Bulgarorum ad fidem conversorum per Formosum Portuensem Episcopum Monumentum? Illud frugibus abundans, magnam patitur aquae inopiam*. Quis scit &c. „ Cave tamen, hinc positivum argumentum petas pro Bulgaro Pisano; nam & in Cremonensi territorio quoddam *Bulgari* oppidum visitur, & aliud in Vercellensi Comitatu eodem nomine distinguitur; Sed ad refellendum indicium dumtaxat à Bononiensibus ex *Curia Bulgarorum* derivatum ejusmodi observatio conducit.

Eadem pag. 92. *lin.* 24. Notari potest, secundam illam Bulgari uxorem *Imeldam* vocatam fuisse; Refert enim Fortunius noster *hist Camald. lib.* 2. *cap.* 17. Imeldam Viduam olim *Bulgari Bononiensis Civis* (adlecti videlicet, an originarii, hinc non liquet) uxorem, condito testamento sacram heremum suarum omnium fortunarum haeredem fecisse anno 1177. die 13. Kal. Septembris manu Lamberti Notarii: ea conditione, ut super unius praedii superficie Hospitalis domus, & Coenobium juxta Camaldulensium insti-

institutum, prò remedio animae utriusque Conjugis exhaedificaretur; quod & praestitit Ildebrandus tunc Generalis sub invocatione S. Salvatoris, ac B. Mariae semper Virginis. Nunc in suburbanum, quo Seminarii Alumni ad rusticandum conveniunt, locus ille, ut audio, conversus est, dudum ab Ordine avulsus, ut tot alia, quae in Bononiensium finibus Coenobia possidebamus, unico angustissimo S. Damiani Contubernio potius, quam Monasterio nobis relicto.

Ad pag. 96. *lin.* 4. post verbum „ indultum „ adde „ juxta *l. Cives C. de Incolis*, ubi habetur: *Cives quidem origo, manumissio, adlectio, vel adoptio; incolas verò domicilium facit*.

Ad pag 97. *post lin.* 3. Adde „ vel saltem sub Federico I. post ejus cum Alexandro III. dissensiones „

Ad pag. 98. *lin.* 14. pro citatione *n. XXXIX.* lege *n. XL.* & *lin.* 20. pro *n. XXX.* pone *n. XXXI.* ac demum *lin.* 32. pro *n. XXVII.* lege *n. XXVIII.*

Ad pag. 127. *post lin. ult.* Adde „ Nihilominus post haec scripta animadverti, quod apud Ughellium inter Tiphernates Episcopos recensetur: *Stabilis Castello Felicitatis Episcopus*, & hoc nomine *Castri Felicitatis* appellatum olim Tiphernum asserunt secundae editionis ejus Operis Curatores; Unde vix jam dubitare licet, abjectis aliis conjecturis, *Petrum Episcopum*, de quo in hoc documento, Ecclesiae Tiphernati reverà praefuisse; nam & ejus nominis Praesul per ea tempora Tipherni floruisse legitur apud Ughellium, cujus utique series propterea augenda erit etiam *Theodoro Episcopo Castri Felicitatis*, qui in documento *n. I.* adducto memoratur (quidquid de illo ibidem nota (*p*) supra dixerimus) itemque *Roderico Episcopo Castelli Felicitatis*, qui Romano Concilio anni 861. subscripsit, ut ex ejus Actis à Clariss. Abbate Bacchinio in Appendice sui Agnelli editis, & in novissima Italiae Sacrae editione iterum impressis inter Archiepiscopos Ravennates colligere licet.

Ad pag. 136. *lin.* 10. Quae hic dicuntur de annis Opizonis Episcopi ex Ughelli sententia, emendanda sunt ex his, quae supra *pag* 122. diximus, ubi ex potioribus documentis patuit ipsum ab anno 1039. ad 1059. Pisanam Ecclesiam rexisse.

Ad pag. 140. *lin.* 14 & 20. pro *Iorentio* scribe *Juventium*.

Ad pag. 141. *lin.* 20. Adde „ Aliunde tamen suaderi posse videtur, Libras, & Solidos undecimo saltem saeculo usitatos, nostris aequalem propemodum valorem obtinuisse; quandoquidem documentum habetur in Archivo Illustrissimi, ac Reverendissimi Pisani Archiepiscopi *sub num.* 130. ubi Raynerius Marchio portionem suam in monte & planitie apud Castellum de Nuvila, cum omni Jurisdictione ejusdem Castri vendit Uvidoni, & Lanfredo, accepto pretio trium unciarum auri pro libris trecentum viginti

viginti. En verba ipsa illius documenti anni MLX. Stylo Pisano X. Kal. Augusti indictione XII. *Manifestus sum ego Rainerii filio bone memorie Ugbiccioni qui fuit Marchio quia vos Uvido filio . . . . . Uvidi & Lanfredi filio bone memorie Angeldi dedisse mihi merito uncias tres de auro per libras trecentum viginti, &c.* Qua ratione quaelibet auri uncia libris centum & sex cum duobus trientibus respondebat „

Ad pag. 154. *lin. penult.* Adde „ Ex Mabillonio verò in suo Itinere Italico *pag.* 177. dicitur Pes Liutprandi Parisiensem pedem Regium continere, & insuper ipsius pedis trientem. Ejusdem pedis mentio est apud Chesnium *tom.* 2. *hist. Franc.* ex Codice Novaliacensi in haec verba: *His quoque diebus Liutprandus Rex Langobardorum apud Italiam strenuè regnabat: qui tantae longitudinis fertur pedes habuisse, ut ad cubitum humanum metirentur. Horum verò pedum mensura pro consuetudine inter Longobardos tenetur in metiendis arvis usque in praesentem diem: ita ut pedes ejus in pertica sunt XII. fiat tabula.*

Ad pag. 166. *lin.* 7. loco *n. XXV.* lege *n. XXVI.* ac dele *XXIX.* cum *linea seq.* loco *XXXIII. XXXVIII. XLIV. & XLVII.* repone *XXXII. XXXIV. XL. XLV. XLVIII.* & *lin.* 17. loco *n. XXXIV.* lege *XXXV.*

Ad pag. 168. *lin.* 16. post verbum „ decurreret „ Adde: „ Quid, quod adeò bardos aliquando Notarios fuisse deprehendimus, ut numerum indictionis ultra XV. continuarent? Jam supra *pag.* 117. *lin.* 14. monui, in quodam documento Platonis Episcopi Pisani notatam esse indictionem *sextam decimam*: sed & eruditissimus, ac Patriae suae antiquitatum studiosissimus Vir D. Octavius Angelus Abramius Primitialis Ecclesiae Canonicus pridem me docuit, in Actis Bonalbergi Judicis, & Notarii Imperialis ad annum 1202. Kalendis Novembris, loco Indictionis quintae illi tempori congruentis pariter *indictionem sextam decimam* legi; Et in Actis Ildebrandi quondam Nini Judicis Ordinarii, & Apostolicae Sedis Notarii, omnes Contractus anni MCIX. Stylo Pisano, seu MCVIII. Romano more, pro indictione prima praeseferre *indictionem XVI.* ac tantùm anno sequenti errorem corrigi, & indictionem secundam substitui, non XVII. ad quam utique progressus fuisset Notarius (ut antea à XV. ad XVI. gradum fecerat) nisi opportuni alicujus Monitoris prudentia tanti erroris successivae propagini obstitisset.

Ad pag. 171. *lin.* 31. loco (*Ghesiani*,) lege (*Ghetiani*).

Ad pag. 181. *lin.* 32. Quae hic de Actone Episcopo Pisano habes, dicta sunt ex Ughelli Sententia, quam reformandam monui supra *pag.* 121. ubi de Azone, sive Athone Pisano Episcopo ex vetustis monumentis disserui.

I N-

INDEX GENERALIS

Rerum, & Nominum.

A

B

Ber-

C

Cano-

D

Eccle-

E

F

Ghi-

Gua-

H

Ilde-

K

L

Lan-

Ludo-

M

Mone-

Q

R

T

V

Z

A P.

APPROBATIONES.

Admodum R. Lucas Joseph Cerracchini Sacrae Theologiae D. ac Academicus Florentinus, attentè legat Epistolam hanc de Pandectis D. Guidonis Grandi, &c. ac si quid imprimendam prohibeat, referat.

Datum ex Archiepiscopali Palatio 20. Novembris 1727.

Horatius Mazzei Vic. Gen.

Illustrissime, ac Reverendiss. Domine.

Clarissimi Viri D. Guidonis Grandi in Pisana Academia Matheseos Professoris, & S. Michaelis in Burgo Abbatis Meritissimi Epistolam hanc de Pandectis, Notis variis, & Appendice Veterum Monumentorum locupletatam attentè legi, nihilque in ea à Fide Catholica, ac morum puritate alienum inveni; ideoque publici juris faciendam censeo.

Dom. tuae Illustriss. ac Reverendiss.

VII. Kal. Decembris 1727.

Humill. Servus.
Lucas Joseph Cerracchini S.T.D.

Stante supradicta Approbatione Imprimatur.
Horatius Mazzei Vic. Gen.

Ordine, & Commissione Reverendiss. Patris Magistri Vincentii de Comitibus Inquisitoris Gen. S. Offic Flor. Admodum Reverend. Ubaldus de S. Telmo Lector Moralis Scholarum Piarum videat praesentem Librum, cui Titulus *Epistola de Pandectis* Reverendiss. Patr. Guidonis Grandi S. Michaelis in Burgo Abbatis, & referat, an possit typis mandari.

Data in S. Officio Flor. die 26. Novembris 1727.

Magister Fr. Joseph Maria Pesenti Ord. Min. Conv. Vic. Gen. S. Officii.

Reve-

Reverendissime Pater Inquisitor Generalis.

Quae de Pandectarum inventione post offusam Italiae à Longobardis barbariem à Viro celebratiss. D. GUIDONE GRANDO in Pis. Acad. Mathes. Profess. & in Coenobio S. Michaelis in Burgo Abb. quam qui maximè merito, exquisitè momento suo ponderantur, non solum mihi probari palàm profiteor, ut ea, quae Cathol. Religioni, morumque candori minimè reflant, at Virum Cl. mirari non desino, qui cum à nullo studiorum genere manus abstineat, in difficillimis etiam, atquè instar prope Labyrinthi cujusdam inextricabilis, cęcis penitus & abstrusissimis antiquitatis ambagibus, non nęvo aliquo, aut crepundiis, sed corpore omni cognoscere veritatem contendit. Cujus rei caussâ opus dignum censeo ut edatur.

Flor. Postridie Idus Decembris 1727.

Pat. Tuae Reverendiss.

Humill. Servus
Ubaldus de S. Telmo in Coll. Sch. Piar. T. M. L.

Attenta Relatione Imprimatur
Magistr. Fr. Joseph Maria Pesenti Min. Conv. Vic. Gen. S. Off. Flor.

Ph. Bonarota.

Facultas Reverendiss. P. Generalis.

Nos D. Michael Angelus Gasparini Abbas Generalis totius Ord. Camaldulensis. Cum Librum inscriptum *Epistola de Pandectis editio altera &c.* à Rever P. D. Guidone Grandi Ord. nostri S. Michaelis in Burgo Pisarum Abbate, nec non Universitatis in eadem Urbe Mathematicae Lectore, &c. compositum aliquot Theologi ex nostra Congregatione viderint, & approbaverint, Nos facultatem Authori praefato concedimus eundem librum typis mandandi, si iis, ad quos spectat, videbitur. In quorum fidem has Litteras manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus.

Ex nostro Monasterio SS. Hippolyti, & Laurentii Faventiae hac die 19. Novembris 1727.

D. Mich. Ang. Abbas Generalis Camald.

Locus ✠ Sigilli

D. Antonius Marcelini Cancell. Cam.